

2732.

Xm. 26a

JUSTA
THEMIDIS
SENTENTIA,
MEDICINÆ DOCTORIBUS
PRÆ
CAUSIDICIS SEU ADVOCATIS,
COMPETERE
PRÆROGATIVAM DIGNITATIS, ADEOQUE
JUS PRÆCEDENTIÆ,
RATIONIBUS DECIDENDI,
AD
SUMMAM MEDICÆ FACULTATIS
DIGNITATEM ET GLORIAM
DEMONSTRATA
A
H. J. DE SCHOENAU,
PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTORE
ET PHYSICO DRINISIO.



FRANCOFURTI AD MOENUM,
APUD JO. BENJAM. ANDREÆ, 1750.

Refutet qui potest,

Improbet, qui volet, carpat, cui libet, certè
paratam ubique habebit Veritatis super omnia
vincentis contradictionem.





PRÆFATIO.

Posteaquam canente Vate Anglo

*Theologis animam subjecit lapsus Adami,
Et corpus medicis, & bona juridicis.*

Hos inter lis orta est, cui istorum
trium prærogativa dignitatis, &
præcedentiæ honos competeteret.
Theologis quidem, cum circa suprema
Entia, Deum, angelos & immortalem
animam ceu objecta versentur, is ultro
tam à Jure Consultis quam medicis con-
cessus est, inter suos verò postremos con-
tentio semper continuavit, Medicis qui-
bus pro objecto sunt corporis bona, qui-
buscunque fortunæ bonis, quæ caufidici
spectant, longe præstantiora præliis jure
optimo præcedentiam prætendentibus.

Diversi quidam viri magni tam *Justinia-*
ni quam *Hippocratis* consecranei hanc
quæstionem partim seriò partim ludicrè

A 2

per-

pertractârunt, inter quos vanissimus de vanitate scientiarum scriptor *Cornelius Agrippa* sarcasticè resolvit, nempe Prætorem quandam ex litigantibus utriusque professionibus Doctoribus quæsivisse, quis mos & ordo servaretur in educendis ad supplicia reis, uter præcederet, an latro aut carnifex: Cum responderent, præcedere latronem, sequi carnificem, dedit sententiam: Præcedant ergo Juristæ, sequantur Medici, horum insigne latrociniū, istorum temeraria homicidia indicans. Alii paulo aliter explicant, ut hoc insinuat Epigramma :

*Certus utrique honor est, sed eo discriminare
distant,*

*Fur præit, at medici est carnificisque
sequi.*

Sed linquamus hos cavillos authori nasutissimo.

Non minus ridiculè imo nugatoriè & sarcasticè hanc quæstionem tractavit *Philander à Sittevvaldt* visione sexta. Et nec Juristæ nec Medico tribuit præcedentiam, allegans *Ovveni* libri primi Epigramma quinquagesimum, & afferens: *Si jurista est bonus, certe & bonus est Me-*

Medicus. Uterque probe intelligit forma-
re taxas. Epigramma hoc est:

*Legista & Medicus sunt juris uterque periti,
Hic ægros, alter jure taetur agros.*

*Jus dare cuique suum didicit, legista clienti,
Ægrotō Medicus jus dare quoque suum.*

*Jus legislatarum quid differat à Medicorum,
Jure rogas? Siccum est illud, at hoc li-
quidum.*

Ita passim in ludibrium vertitur istud in-
ter Juristas & Medicos honoris & præce-
dentiæ certamen, quod revera nec his
nec illis ne hilum quidem importat. Et
sanè parum nunc mea refert, an me jam
pridem super octogenarium, quinquaginta
sex annorum Medicinæ practicum, duo-
rum quondam R. J. Principum Archia-
trum & supra quadraginta octo annos Me-
dicum Provincialem juvenis quidam in-
star fungi in lucripeta Academia natus Ju-
rium Licentiatus aut Doctor, qui

*Ut nocte natus unica fungus solet,
Suum miratur verticem, & teres caput.*

Et jus civile vix didicit, & Canonicum
ne quidem à lumine salutavit, & ne qui-
dem novit, quæ lex de vespis in segete
mentionem faciat, præcedentiam capiat.

A 3

Hæc

Hæc enim in tanto senio summa foret gloriæ vanitas. Neque intentio est cauſidiços ex longa præcedentiæ possessione quæ ipſis, ut statuunt, plenum jus tribuit, ideoque manutenendem volunt, deſturbare, verum ad honorem medicæ facultatis, ejusque membrorum dignitatem ostendere, cum jurisprudentia duplex sit, alia quæ versatur circa administrationem justitiæ & Reip. regimen politicum, alia, quæ circa causas agitandas, & in foro ventilandas, illius quidem ministris ac moderatoribus, causarum vero patronis, quos Advocatos appellant, haud quaquam, jus præcedentiæ præ medicis competere. Non igitur Judices justitiæ diribitores, non politicos Reip. administratores, non juris publici dogmata rei potius gravitate & honestate, quam spe lucri & mercedis tractantes, sed ſimpliciter Advocatos, qui linguam & calamum venalem habent, hoc tangit argumentum.

Nil derogatum volo jurisprudentiæ, nobilissimæ fane disciplinæ, quæ ad discentes nobilitat, confert magistratus, conduplicat honores quæque neminem ejus notitia solidè instructum in paupertate vivere, nec in anxietate mori permittit.

tit. Ut memoratur Novell. 1. in fine
quamvis viderim Jurisconsultos in pau-
pertate vivere, in anxietate mori; Dicam
vero hanc scribo Advocatis, aliquando
instar asparagorum coctis, qui etiam Me-
dicis veteranis se præferre non eru-
bescunt, licet vix sint barbati. Talem
imberbem Advocatum perstringit *Ovve-*
nus l. 2. Epigr. 87.

*Artis nuper eras imberbis inersque Magister,
Barbatus nunc es Doctor, inersque magis.*

Ejusmodi Doctor se magnum quid esse
jactitat, si sit Advocatus. Talis erat cau-
sidicus, in quem idem Poeta. l. 1. Epigr. 9.

*Si felix, rerum potuit qui noscere causas,
Qui nosti causas dicere, quantus homo es?*

Et hi non immerito se Jurisprudentes
dicunt, ut & hic asserit l. 1. Epigr. 54.

*Jurisprudentes prudentes jure vocantur,
Tam bene cum studeant, provideantque
sibi.*

Animadverto hic excandescere & fure-
re, tantum non fremere non unum ex
gregariis Advocatis (nam satis fucos irri-
tavi) & calatum stringere, ut satyras &
sarcasmos pariter in medicos eructet.

A 4

Sed


Sed ultro fateor, sicuti in jure dantur rabulæ forenses, & nummorum in causidicina æruscatores folidi, Harpyæ forenses, & *Apulei* verbo *vultures togati*, qui venerandum hoc causidici munus tricis suis ac involucris dehonestant, leges etiam in liquido jure ut ceram habent, & pro lucello suo huc illuc flectunt, sic quoque in Medicina dari varias Medicorum Simias, Agyrtas, circumforaneos, præstigiatores, folidos, uroscopos, idiotas, vera Medicinæ carcinomata in quos quantum quis scribere potest, scripserunt *Raymundus Mindericus* in *Threnodia Medica* & *Jo. Christophorus Bitterkraut in den wehmüthigen Klag - Thränen der loblichen höchst - betrangten Arzney - Kunst*. Non hæc vitia sunt Medicinæ, nec illa Jurisprudentiæ, si Medici aut Advocati avaritiæ, ignorantiæ, aut malitia peccent. Si, qui litibus agendis & ventilandis occupantur, Advocati contra scientiam & conscientiam, causarum malarum. Sint patroni, si falsis testibus, legum allegationibus, earumque perversionibus privatorum lites protrahant, & nisi bene manus urgantur, negligant, utinam non ali-

aliquando utriusque parti linguam & cala-
num vendant.

Æquo igitur animo ferent Domini Ad-
vocati , quamvis antiquissimi temporis
præscriptionem obmoveant, si ipsis ostend-
ero dignitatis prærogativam & jus præ-
cedentiæ præ Medicis prætensum haud
quaquam iis competere, quod quidem,
ut ipsi vocant , rationibus decidendi,
ipsâ nempe Jurisconsultorum & Politico-
rum sententia , argumentis theologicis,
philosophicis. Ethico - moralibus, Histo-
ricis sufficienter comprobabo.

A S


IN-



INSCRIPTION

In præsentem libellum,
Medicina
Origine, antiquitate, nobilitate,
Utilitate, necessitate
Jurisprudentiâ præstantior
Deum ipsum habet Authorem.
Jus Civile
Fundatorem Regem Justinianum,
Gentilem, Atheum, improbum.
Illa creata est cum mundo condito,
Hoc diu post Christum natum introductum.
Cujus ergo scientia antiquitate
Et fundatoris Majestate præcellit?
Academiæ creant Jurium Doctores,
Sæpe sat ignavos, ignarosque.
Veros autem & expertos medicos
Teste Sacrâ Scripturâ Creat Altissimus.
Quis creator,
& Quæ Creatura prævalet?
A Deo omnis medela est.
Ideoque Medici Dei amanuenses sunt;
Advocati maligni litium incentoris,
Quæ professio Divinior, innocentiorque?
Medicum, non Juristam honorari jussit
Sacer Codex:
Juri

Juristæ se ipsos honorant,
 Dum quasi pro Tribunal iudicantes
 Sibi ipsis honoris prærogativam adjudicârunt.
 Medicos vero ipse Deus jussit honorari.
 Cujus ergo dignitas potior?
 Pugillus terræ, lucrum cessans,
 Agelli, praedioli, pecuniolæ possessio,
 Objectum advocatorum est.
 Objectum medicorum
 Omne excedens pretium hominum mens sana
 in corpore sano.
 Si ergo vera est magni Stagyritæ Doctrina,
 Scientias specificari ab objectis,
 Quæ scientia nobilior?
 Medicorum paucissimi Jureconsultis indigent,
 Sed hi medicis aliquando carere non possunt,
 quorum ergo major est necessitas?
 Patriam reddit infelicem Advocatorum
 multitudo:
 Felicem vero Medicorum,
 Quando morbos tam sporadicos quam Epidemicos curant.
 Quæ ergo professio Reip. utilior?
 ô quam felix Respublica,
 Si Advocatorum paucissimos,
 Medicorum expertissimos habent!
 Cum propriæ vitæ periculo servit Medicus
 patriæ
 Grassante Contagio.
 Quis caput exponit periculo Advocatus
 In commodum publicum?
 Nonne ergo Respublica magis Medico
 Quam Causidico obligatur?
 Sed



Sed Hem!

Ades Advocate *Ariste*,

Ades *Eodoxe* Medice.

Quis nunc inter vos præcedet?

Uterque stat in procinctu intrare

Templum honoris.

Eudoxus jam per plura lustra exercuit

Praxin salutarem & soteriam:

Aristus nuper pileo Doctorali insignitus

Processum nullum vicit, nullum amisit.

Nonne igitur præcedet *Eudoxus*.

Aristus sequetur?

Sequetur certe, nisi velit esse *Coræbus*.

Sed patimur,

Ut *Bunas* sit judex.

Ad Zoilum Advocatum.

Zoile præcedas, medicorum turba sequetur,

Si potis es jus hoc jure probare tuum.

Verum causidicis quod præcedentia nulla

Competat, ast medicis debitus hic sit honor,

Ostendit liber hic multis rationibus, atque

Argumentis, quæ nemo negare potest.


Cedite causifici, magnò quibus ilia fastu

Inconsulta tument, vos Therapevta præit.

Nam Decus ablatum Medicinæ reddere fas est.

Sic suadet ratio, sic jubet alma Themis.

Elen-



Elenchus Capitum.

CAPUT I.

Quis apud antiquos Germanos fuerit Advocatorum status.

II.

Refutantur falsa quædam Jure Consultorum
Elogia de jurisprudentia.

III.

De Advocatis in contrarium virorum præstantium Censura.

IV.

Medici semper majori in honore habiti sunt,
à Cæsaribus, Regibus, & Principibus,
quam Jure Consulti nedum Advocati.

V.

Quia paucissimi in juris studio perfecti sunt,
in Scientia vero medica plures, medicos
perfectos imperfectis Advocatis merito
ante ponendos esse ostenditur.

VI.

Nugatoria Chaffanæi argumenta, quibus medicorum dignitatem imminuere admittuntur, exploduntur ac refutantur.

VII.

VII.

Ostenditur Causidicorum seu Advocatorum multitudinem Reip. summe noxiam, medicorum autem respective paucitatem utilissimam & necessariam esse.

VIII.

Virtutes & merita medicorum præ vitiis Causidicorum merentur dignitatis prærogativam.

IX.

Politicorum & Jurisconsultorum Decrēta, quod Advocati Medicis de jure locum cedere debeant.

X.

Rationes decidendi, quibus amplius confirmatur justæ Themidis sententia, quod Medicis præ Advocatis competit prærogativa dignitatis, adeoque jus præcedentiæ.

Accedit *Mantissa* cum Epicrisi.



CAPUT I.

Quis apud antiquos Germanos fuerit Advocatorum status.

Aristoteles Politic. 3. 12. scribit majoris roboris esse leges, quas non litteræ, sed mores fecerunt: & Plato quoque ubi plurimæ leges, ibi, & lites, itemque mores improbos esse asserit. Unde mirari non licet apud antiquos Germanos, apud quos memorante Tacito, boni mores tantum valuerunt, quantum alibi bona leges, nullas fuisse lites, & sine causidicis gentem satis felicem extitisse. Laudabile quidem est, mores barbaros & superstitiones Gentilium à Religione Christiana reformatos esse, sed quo ad iudicia felicius ævo nostro erat antiquius. Habebant aliquid, quod modernis Christianis verè pudorem incutiat. Simplici ratione procedebatur in judiciis. Neque enim aut multitudo legum, aut ad vocatorum malitia aut lucri cupiditas, ut hodie lites protelabat. Memorat Tacitus, vel capitales inimicitias citissimè compositas fuisse, ex quo patescit, quanto magis in minoris momenti causis controversiae finem facile invenerint.

rint. Quæ enim in antiquorum saxonum gente litium fuerit aversio, vel ex eo colligitur, quod narrat *L. Anneus Florus l. 4. c. 12.* Nempe *Quintilius Varus* vix in Cheruscis Romano more instituerat judicia, & mox illi conjurârunt. *Quintilio Varo* igitur cum tribus legionibus Cæso præcipue sœvitum fuit in causarum patronos. Verba ipsa memoratu digna sunt: *Nihil illa cœde per paludes perque sylvas cruentius, nihil insultatione barbarorum intollerantius, præcipue tamen in causarum patronos. Aliis oculos, aliis manus amputabant, unius os futum, recisa prius lingua, quam in manu tenens barbarus, tandem inquit, vipera sibilare desine.*

Rationes, quare isto ævo rariores lites extiterint, obscuræ esse non possunt penitus anti ipsam gentis naturam, quæ non astuta, non calida fuit, sed sincera, simplex, & candida. Matrimonia erant severa, & nil magis in universo populo meruit laudari, quam ista Continentia. Hæredes erant & successores cuique liberi, & nullum testamentum. Aurum & argentum vix ullo erant in pretio, pecudes erant opes gratissimo, & ex mera commutatione constabant commercia. Ne ergo mirerur, nedum dubitemus vigentibus illis moribus, raras extitisse lites, & compositæ facilis. Hæc erat antiquissimæ gentis in judiciis ratio.

Et adhuc tempore Imperatorum usque ad *Lotharium Augustum Saxonem Juris Doctorum & Advocatorum nomina Germanis erant incogni-*

incognita. Nesciebat Germania, quæ essent digesta, quid codex, quid Novellæ. Postquam vero Justinianæum jus Alpes transiit, juris interpres & Causidici introduceti sunt, & sub Lothario litium quantum succrevit. Unde Lipsius in monitis & Exemplis Politicis c. 10. inquit: *Bone Lothari, manes tui per me quiescant: Sed rosæ aut lilia sepulcrum tuum non ornant, quia tot tricas & spinas nobis sevisti.* Ipsi legum periti, qui responsa formarunt, ex quibus digesta compilata sunt, plerique fuerunt gentiles, & Christiani nominis hostes infestissimi, & judices in causis Christianorum judicandis. Papinianus inter ceteros eminuit. Ulpianus Christianorum fuit Carnifex. Imo seculo adhuc sexto sub Justiniano Imperatore Jureconsulti plerique fuere gentiles. Præcipuus ex illis, qui corpus juris civilis compilauit fuit Tribonianus Ethnicus. Sub quo ars facta est Causidicina quem Suidas his verbis depingit: *Quod fuerit pecuniæ ad miraculum avidus, leges pretio vendere solitus,* Ethnicus & à fide Christiana plane alienus: in summo honore constitutus, nihil injucundi unquam à quoquam perpetsus, nam & facundus erat, & cœtera suavis, avaritiæ morbum amplitudine Doctrinæ solertissime occultabat. Ejusdem farinæ fuere illi, qui adducuntur sub initium codicis Tit. de nova codice faciendo, inter quos primus est Joannes Patricius, de quo scribit Baronius in Annalibus Eccles. quod Dei & hominum fuerit contemptor, & iuris regis egregius, voluptatum sectator maximus.

B

mus.

mus. In ipso legislatore *Justiniano* teste *Eva-*
grio tam inexplebilis fuit pecuniæ cupiditas,
& tam turpis atque adeo absurdæ rerum alienarum appetitio, ut complures imo innumera-
biles, qui bona multa possidebant, causa falsa commentitiaque conficta omnibus fortunis mulctarit. Vid. *Adamus Conzenus Politic.*
I. 5. c. 29. hic postquam dixit *Justinianum* Imperatorēm ignarum litterarum & juris fuisse, indeque factum, ut toties leges immutando eas ad commoda sua avari Jurisperiti fixerint atque refinixerint; sic concludit: *Pauperes ignoscite, in causa publica loquor, & de eo loquor, quod crebro fieri solet, nolle dare juri operam & causas agere, quia in nimia occasione peccandi, pessima consultrix & impultrix est inopia sordesque. Vili justitiam vendit, cuius conditio vilis est carè sententias vendit, qui in egestate studendo lucri occasionem longa patientia quaesvit.* Nunc de illis pauperibus loquor, qui divitiarum & honorum causa juri studuerunt & longam famem & siccas fauces adferunt ad partium litigantium medullam exsugendam. Ditescere volunt & citò ditescere; interim status sui dignitatem exaggerant, splendide vestiuntur, ne pauperes esse videantur, & cum jus non satis suppetit, per injuriam queruntur opes. Horum turba cum invaluit, sursum deorsum omnia vertunt. *Ipsum imitantur bi suum legislatorem Justinianum.*

Verè & eleganter sanè hic *Politicorum* *Coryphaeus* scribit, quare tanta studiosorum multitudo ad studia juris hodie se conferat, nempe ut

ut vilem statum suum elevent, & egestatem solentur. Consentit cum hoc scriptore *Besoldus*, ipse Jureconsultus celeberrimus Politic. l. 2. c. 2. quo ait audiunt malè Jureconsulti, quia nunc plerique litibus & processibus occupantur, nec ulla re alia arte sua & scientia Reip. commodare vel volunt, vel sciunt. Hinc apud Italos dicitur. *Merus legista purus putus Asinus.*


Bernardus Qieritius ipse quoque Jurisconsultus in Comment. de Principum prærogativa dignitatis. Jurisperitiam Advocatorum scribit esse illam forenium hirudinum altricem & nutriculam, quæ nummario pretio hodie aestimatur, & pauperes Clientes damno & infortunio mulctat, esse Advocatorum artem mere questuosam & lucri Dei officinam: Veræ autem Jurisprudentiæ leges sacratissimas cauponariæ artis omcino expertes esse. Quod probat per authores ibi allegatos.

Nolim sane Advocatum mihi habere vicinum, cum hoc enim vix sine jurgiis, litibus, & rancore vivitur. Siquidem moroso & improbo advocate vicino rixandi nunquam occasio deest, nunc de finibus, de damno dato, nunc de stillicidio, nunc de semita, nunc de prospectu, aut de lumine lis movetur. Ut proin non immerito in litium causas vicinitas à *Ventura de Valentiis* in Parthenio litigioso l. 1. c. 7. num. 17. connumeretur. Præsertim si vicinus Causidicus sit, qui ipse potest causam suam agere.

Optime dixit *Lipsius* l. c. an non præter jus illud Romanum statuta & Decreta oppidatim,

pagatim, populatim habemus. Claudimur undique & velut obsidemur à legibus, at litium tamen copia, quanta non alio ævo, & controversiae assiduae super ipso jure, aut querellæ. Utinam apud nos Christianos boni mores juxta præcepta divina formati magis valerent, quam leges civiles, sic immensa malorum ilias vitaretur. Utinam sequentem non investivam fabulam ab Erasmo adagior. Chiliad. 4. cent. i. præfatione adductam prævie considerarent litigantes. Parum conveniebat inter duos quosdam cognatos de re dividenda, cumque neuter alteri vellet concedere, res eo spectabat, ut iretur in jus, & judicium sententiis controversia finiretur. Adibantur Advocati, parabantur Dicæ, res erat cum Jureconsultis. Aditi judices, contestata lis, cœpit agi causa, hoc est, bellum susceptum est. Ibi alter mature relipiscens adversarium privatim accersitum his verbis alloquitur. Principio parum decorum est, ut quos natura copulavit, pecunia dissociet. Deinde incertus est litis eventus haud minus, quam belli. Suscipere nobis in manu est, finire non est. De centrum aureis tota lis est. Ejus summae duplum in Notarios, in Promotores, in Advocatos, in Jureconsultos, in Judices, in Judicium amicos expendetur, si legibus experiamur. His erit inserviendum, adulandum, dandum. Interim taceo curas ambiendi, cursitandique labores. Denique ut maxime vincam, plus tamen est incommodi quam commodi. Quin potius ipsi nobis sapimus, quam istis prædonibus, & in-

inter hos male collocandam pecuniam inter nos partimur. Concede dimidium de tuo, ego tantundem de meo concedam. Ita & amicitiam nostram alioquin peritaram lucrificiemus, & tantum molestiam effugiemus. Quod si recusas quicquam concedere, ego vel universum negotium tuo permitto arbitratui. Malo penes amicum sit haec pecunia, quam penes insatiabiles illos prædones. Abunde magnum fecero lucrum, si & famæ pepercero, & amicum servavero, & tantum effugero molestiarum. Movit adversarium tum rei veritas, tum cognati festivitas. Rem inter se transigerunt iratis Advocatis & Judicibus, quos corvos deluserunt hiantes. Vel horum igitur prudentiam in re tanto periculosiore studeas imitari. Neque solum spectes, quod velis asseQui, sed quanta bonarum rerum jactura, quantis periculis, quantis calamitatibus sis assecuturus, quod si ceu lancibus hinc atque hinc expensis commodis & incommodis, compries multo potiorem esse pacem iniquam, quam bellum æquum, cur mavis martis aleam experiri? Quis enim nisi demens aureo pisceatur hamo. Si vides multo plus impendere quam lucri, etiam si feliciter cadant omnia, nunquid præstat aliquid de tuo jure concedere, quam parum commodi tam innumeris mereari malis? Haec tenus *Erasmus*. Cui qui prudens est, facile acquiescit.



C A P U T II.

*Refutantur falsa quedam Jureconsultorum Elo-
gia de Jurisprudentia.*

Falsa est Thesis Rittmeieri in Conringianis Helmstadii anno 1708. editis p. 47. *Forensem processum inter arcanissima & speciosissima numerari dominatus instrumenta.* Cui oppono Besoldi. Famosissimi Politici l. 2. c. 2. textum; Processum plerumque nil aliud esse, quam hominum nocentium & facinorosorum refugium, latibulumque, innocentium vero tedium & afflictionem. Principi ejusdem verba sequentia perpendenda proponit Conzenus l. c. Forma judiciorum & judiciarius ordo, quo in quibusdam utimur locis, neque videturordo neque processus, sed magis confusio & labyrinthus: non procedimus, sed erramus. Calumniosa est cœrimoniarum atque scriptorum alteratio extra omnem causæ Executionem. Hinc formularii, arcana qui tractant processum & cautelistæ magis sunt in pretio, quam æquitatis artifices. Imo fatalia instantiarum consuetudine abolita jam sunt pessima. Sane tanta ubique juris & legum multitudine, & exinde nata confusio est, ut nullum unquam fuerit seculum ab initio mundi, nullum aliud adhuc hodie regnum vel Resp. sit, ubi sub specie juris magis pericolose, erretur, ita justitia opprimatur, rerumque judicatarum Executio impediatur, quam nunc fieri solet, postquam jus renatum & quasi de coelo delapsum nobis imaginamur, quam iis in locis fieri

con-

consuevit, ubi juris ratio, & scientia magis florens, magisque vivida esse depraedicatur. Hæc *Besoldus*, qui etiam l. 1. Dissert. 14. de jure Romano queritur subtilitatibus & fictionibus scatere, quas post tot annos invenerunt Imperatores, vel potius maleferiati interpretes Juris.

Pergo ad alterum Elogium. *Carpzovius* l. 1. Resp. jur. Tit. 1. Respons. 1. scribit Advocatos vitam & Professionem meliorem ducere, quam ipsos Religiosos. Quod sane est ridiculum, & magnam ejus saltem in nostra Religione arguit ignorantiam. Nescivit enim, quæ sit vita Religiosorum, quam Deo & superis grata, quamque affinitatem cum vita Sanctorum habeat. Verbi Divini præcones fidei orthodoxæ propagatores, animarum Christianarum custodes *Augustinos*, *Ambrosios*, *Basilicos*, *Bernardos*, & innumeros alios, Ecclesiæ nostræ lumina, cum Advocatis compare, nedum hos illis præferre per quam insulsum est. Qui corpus aridum jejuniis, cilio, vigiliis & precibus, macerat, affigit, conficit Religiosus, eum cum opipare vivente causidico conferre stolidum est. Audiamus quid illi opponat *Hagmannus* de omnigena hominis nobilitate l. 4. Tit. 7. num. 11. Quod si verum est vaticinium Beati *Fvonis*, periculosum est Advocati munus, quid enim difficultius juris justitiæque administris & Doctoribus, quam illud exequi, quod profitentur, ab omni procul stare injustitia, aspernari munera, legum magis quam auri, gratiae aut fa-

voris rationem habere, inopum viduarumque causis patrocinari. Omnes se cum *Ulpiano* l. i. D. de J. & J. justitiae ac juris æqui & boni Sacerdotes profitentur, & hic sæpius argentinam passus scribitur. Quis est ex illis, qui non eandem patiatur cum *Demosthene*, qui cum pro Cliente suo causam perorare debebat, respondit se anginam pati, ceu alter replicavit, quod argentanginam pateretur. Plures Advocati magis cogitant de pecunia lucranda, quam causæ justitia, nec ulla causatam est injusta, quæ non patronos & advocates inveniat, qui in liquido etiam jure lites alere & causas protelare nōrint. Ita prælaudatus Author an hi ergo juxta *Carpzovium* meliorem quam ipsi Religiosi, vitam ducant?

Tertium falsum elogium proponit *Prorellus* in *Summ. Decis. Tit. LXV. num. XX.* qui assertare non ambescit Advocatum rite officio fungentem plus ad tranquillitatem Reip. conferre, quam verbi Divini Concionatores. Quod certe est leges humanas verbo Divino præponere, cum tamen illæ ad hujus normam dirigi & regulari debeant. Quid ad juris peritum, quæ Advocatum, Reip. tranquillitas? Hujus conservatio ad Politicæ & Juris publici ministros, non litium agitatores pertinet; unde quoque falsa est propositio Georgii *Rautenbergii* in meditationibus de qualitatibus Advocatorum, in quibus sustinet sine Advocatis plane conservari non posse dignitatem politiæ; sed per effrontem plebis cohortem judicia per omnia Sancta violari. Ubi revera Jureconsultus

consultus Politicus cum causidico processuum ventilatore confunditur. Ad legem vivam, Principes, legumque Executores, eorumque iustitiae ministros non advocatos, quā tales spectat effrænes plebis insultus cohibere. Non est Advocatorum punire delicta, & Reip. offensiones, adeoque nil contribuunt ad conservandum ejus pacatum & tranquillum statum. Confer. *Paul. Zacchiæ* qv. med. legal. l. 6. Tit. 3. qv. 8. ubi probat id quidem ad nullum genus juristarum, quā talium pertinere. Adeoque munus Advocatorum male appellatur fulcrum dignitatis Reip. quod ipsi legi vivæ prædicatum jure competit. Attende superius allegationem ex *Besoldo*, qui sustinet Advocatos, nec velle, nec scire nec posse arte sua Reip. commoda afferre.

Tantum igitur abest, ut Advocati sint fulcrum dignitatis Reip. ut etiam eorum multitudine certissima sit ejusdem ruina, ut infra probabo. Si *Petro Blefensi* jam ante aliquot secula scribenti & *Joanni Streino S. J.* in Præfatione part. 3. Summ. jur. Can. credimus, ex Advocatis sunt, qui jura tantum confundunt, lites suscitant, transactiones rescindunt, dilationes innectunt, supprimunt veritatem, fovent mendacia, quæstum sequuntur, æquitatem vendunt, inhiant actionibus, versutias concinnant, ut nihil publicæ mercis tam venale sit, quam Advocatorum perfidia. Si ergo tales sint membra Reip. an erunt quoque fulcra?

C A P U T . III.

De Advocatis præstantium virorum Censura.

NON Advocatum virum bonum qualem ex Zoësto ad ff. de postul. definit Rautenbergius in jure peritum justum, sapientem, conscientiosum, hic tangit discursus, sed duntaxat eos, de quibus Seneca Philosophus l. d. ira §. VII. *Quam turpes lites quanto turpiores advocates habent.* Quærerit commentator Lipsius; quare turpiores? quia, responderet, gnari scientesque prava & injusta defendunt, quia fidem, & vocem venalia in fas & nefas habent, addo etiam, quia ipsi omni fœce criminum maculosi. Hi igitur hic se descriptos inventient.

P. Abraham de S. Clara Tr. *Aliquid pro omnibus inscripto plurium Advocatorum modernorum mores describit Tit. de Advocatis.*

Advocati sunt similes Aquilis in aëre. *Ubique cunque fuerit corpus, illic congregabuntur aquila.* Matth. c. 24. intelligit corpus juris, circa quod hodie versantur tot causidici, ut ex illo prædam sibi rapiant. Corpus hæc Astræa cœlum petens humi reliquit, ejus animam, quæ ipsa justitia est, secum auferens. Sicut aquila de summo montis apice jacens in profunda valle cadaver spectat. Sic nonnulli Advocati, qui emunt lites, vendunt intercessiones, attrahunt litigaturos, protrahunt audientes, retrahunt transigentes, ut dicit Cassiodorus, & hi longè crudeliores sunt, quam aqui-

aquilæ, quæ nonnisi mortuos vorant, Advo-
cati etiam vivos.

Advocatorum nonnulli sunt instar currus,
qui continuò vult ungi, unde eleganter *Ome-
nus*:

*Ne siccus volvente rota, crepet, ungitur axis,
Causidicum mos est ungere, ne taceat.*

Nonnulli sunt cunarum instar, qui hinc & il-
linc moventur, quo Advocatorum inconsan-
tia, lubrica fides & ingeniorum mutabilitas de-
signatur. Hi enim animum pro lucello suo
huc illuc flectunt, instarque libræ in eam ver-
gunt partem, ex qua plus accipiunt.

Nonnulli sunt instar grandinis, qui non nisi
sub frigore reperitur. Advocatorum frigent
manus, neque producunt ut vocant, scriben-
dis aptæ, nisi donorum fricatione continuata
incalescant.

Nonnulli sunt instar monticulorum, qui nil
sunt, nisi per fastum inflata terra, per quos
indigitantur neo - promoti Doctoreculi, qui-
bus nullum animal est superbius, præfertim si
cerebrum vanitate & phantasiis sit repletum.
Putant, quod quivis ipsis locum cedere de-
beant, & ex fronte videre, quod sit Doctor.
Non nemini, qui olim apud Patritium pœda-
gogus fuerat, in Doctorem creato, dum præ-
cedentia præsentaretur: Mei, inquit, Domini
nolite personæ meæ tam vile vestimentum in
vitium vertere Egregius tamen juris Doctör
sub illo latitat. Cui alias: Cur non signacu-
lum frontis sibi fieri faciat, & majusculis
litteris

litteris inscribi J. V. D. ut quilibet pertransiens legere possit?

Nonnulli sunt instar anguillæ, qui piscis amat aquas turbidas. Certe in juris & legum pælago multa sunt stagna aquis turbulentis plena, in quibus sordidæ anguillæ forenses se voluntant. Huc quadrat illud, quod *Lauredanus* in *Sylv. rer. moral.* sub tit. *Concordia* p. 543. ex *Athenæo* dicit: pescatores ad anguillarum capturam turbare aquam, sic enim eas suffocari & capi. Sic avaro causidico, qui clientem excitat ad lites, ut inde lucretur, & limpidam aquam meriti & juris, quæ manifeste stant à parte adversarii, injecto cavillorum pulvere conatur turbidam & obscuram reddere, congruit illud: *Anguillas piscavis.*

Nonnulli sunt instar olei, quod semper vult innatare. Per quos intelligendi sunt novi causidici nuper ex Academiis reduces qui præ Medicis etiam veteranis præcedendi jus sibi itolide arrogant.

Nonnulli sunt instar Salmonis, quo nullus piscis heteroclitos magis saltus facit imaginaria Jurisperitia turgidus quid non molitur? Cunctorum miserorum calamitosorumque vult esse patronus, neminem sibi putat similem in forense munere. Talis erat apud *Tullium* Tom. I. de orat. *Titius* homo loquax & satis acutus, sed tam solitus & mollis in gestu, ut saltatio quædam nasceretur.

Nonnulli sunt instar lyncis. Pecuniam dunt taxat & dona visu intendunt. Quo Advocati avaritia indicatur. *P. Jacobus Balde* in *Antagathyrso*

gathysco num. XLII. quærit: Macer an pinguis Advocatus clienti sit eligendus, & dicit multos utriusque & neutrius Doctos non à vigiliis studiisque, sed inutilibus curis & aviditate acquirendarum opum pallescere neutrū suader & concludit:

*Destabilius nihil est quam pinguis avarus.
Qui non corpus habet, nec corpus juris habebit.
Pro pingui prædam sedit se vultus. Eadem
Mensura corpus juris ventrisque saginat.*

Hactenus cum Commentario meo *Abrahamus de S. Clara*. Cui & alios subjungemus. Inter quos R. V. in Characteribus seu Argutis Descriptionibus diversarum personarum num. 13. hunc Advocatorum Characterem exhibet: Advocatus satagit agere legum interpretem, & justitiæ publicum actorem. Mirum quod non prætendat præ Theologis prærogativam dignitatis, quia lex fuit ante Evangelium. Interpretationem legis conatur detorquere ad causam cui servit. Non videtur tamen esse malus, quia causas pravas studet convertere in bonas. Tam æquum quam iniquum ei cedit in commodum, & quamdiu in mundo persistant fraudes & lites, habebit quod agat. Bonum aliis dat exemplum justitiæ imitator. Nam sicuti justitia cocca est, sic videre nequit, an causam justam vel iniquam habeant illi, quorum est Advocatus, nisi lite finita. Si processus, cui servit, deperdatur; ipse in culpa non est. Sed qui eum constituit, informavit enim illum male, ideoque sui laboris præmium non

non amittit, quia omnes tenentur solvere sallarium, & recipere exprobrationem & sibi ipsis damnum imputare. Qui enim non bene confitetur, male absolvitur.

O speciosam Advocati ideam! qualem nec ipse *Tullius* redderet elegantiorem. Aliam præbet Saint - Evremontius in *Receut de Pièces curieuses* & dicit esse speciem hominum ad id electorum, ut nimium pingues emacent, & impediant, ne macilenti pinguescant. Arma illorum sunt lingua calamus, & bursa. Prioribus duobus defendunt ac destruunt suos clientes, bursa exscoliant. Non finiunt lites, nisi quando partes non habent plus pecuniae ad continuandum. Et quando judicatae sunt, nil litigantibus restat, nisi volumen chartarum maculatarum. Judicia sunt campus martis, in quo pater & liberi, maritus & foemina, magister & discipulus invicem pugnant calamis, injuriis, calumniis, ubi spectantur concussiones reales, deposita negata, rapinæ tutorum, lacrymæ viduarum, & orphanorum, ceu victimæ ad aram *Justiniani*. Bibliothecam Famosi Advocati describit, quod in ea libri sint, ut in mari pisces, quorum aliqui alios devorant. Mille mortui contra alios in acie positi sunt ad seditionem servandam in familiis viventium. Ita *Opiniones Doctorum legum* interpres invicem oppositæ sunt dubiae, incertæ, variabiles, ita leges *Justiniani* corruptæ, mutatae, confusæ sunt per interpres ignoratos vel malitiosos, parum sollicitos, an eorum interpretatio subtilis fiat scaturigo infinitarum

nitarum pravarum litium. Proverbium Hispanorum utique verum est, qui incipit processum, plantat palmam arborem, quæ nunquam dat fructus illi, qui eam plantat. Mahometani Magis felices sunt. Illorum Judices plures decidunt causas duobus diebus, quam omnes Doctores pluribus annis.

Aliter de Advocatis adhuc discurrit *Jo. Barclaius* in Argenide l. 3. p. m. 376, cuius ipfissima verba adducam. Isti Advocati, patroni, scriptores lectores adeo numerum superant, ut pauciores sint agricolæ, pauciores qui in mercatura versantur, regnumve custodiunt, unde vero tanta illa gens vivit, nisi ex injuria populi, ex clade & sanguine miserorum? eo quidem majori Reip. detimento, quod si inter pauciores, sed spectati candoris advocacionum munus esset, tot illa ingenia, quæ noxia se colliditate corrumpant, melioribus studiis ornarent patriam: Disciplinas & artes aut proderent novas aut inventas excoletent, ita hæc pestis non modo malorum est rea, quæ infert, sed honorum præterea, quæ adimit. -- Imo vero ex judicium & patronorum numero crescunt lites aut subsident. Adde nova Tribunalia, non deerunt quibus placeat novus Equuleus -- Forensis hujus æstus causa est, quia judices (ne infrequentia causarum lucello sublato etiam despectam dignitatem faciat) in summo jure semper inveniunt, quos submittant fascibus suis. Nec rabulæ desunt, & his quoque deterius genus, homines quidam scientes formularum omnisque ad litigandum arti-

articuli, qui vel alios inter se committant, vel ipsi reperta litigandi materia hujus ludi ignaros exerceant. Quomodo haec Advocatorum multitudo sit amputanda, & judicia in patriæ commodum reformando, latius ibidem expo-
nit *Barclaius*, cuius utinam consilium apud omnes Principes valeret. Unde *Lipsius*, si Princeps leges minuat, minuet & lites, ut im-
putata vitis late se spargit, & infruētiosa est,
sic jus profecto illud vetus & labruscas pro
uvis gignit.

Hoc optime perpendens *Jacobus Magnæ Britanniæ Rex* inter alia monita filio suo hoc dedit, ut nunquam Advocatos audiret, sed partes litigantes juberet suas causas proferre neque refugeret ipse eorundem querelas audi-
re ac decidere, & ut satageret omnes lites abbreviare addens: Via in jure brevissima opti-
ma est & tutissima: Prorogatio causas reddit
intricatas, & Advocati fiunt divites cum sub-
ditorum depauperatione. O egregia Magni Regis monita! idem Regi suo maxime incul-
cat vir Argenide *Barclaius*.

Severius adhuc alii cum Advocatis proce-
serunt. *Nicolaus III.* summus Pontifex omnes
causidicos ex urbe expulit dicens, hosce ho-
mines ex sudore & sanguine civium tantum
vivere, ut memorat *Nova Gnomotheca n.*

Ferdinandus Rex Hispaniarum, sub cuius re-
gimine India Occidentalis per Christophorum
Columbum detecta fuit, cum illuc *Pedrarium*
ceu Vice-Regem aut locum tenentem mitte-
ret, expresso mandato veruit, ne ullum secum
Juri-

Juristam in novum orbem adduceret: Optare enim & velle, ut homines illico istis difficultatibus, quas hoc hominum genus incolis nostris parit, penitus liberi maneant, ita scribit *de la Mothe le vaier.* tom. i. c. 25. Idem scribit *Matthiam Corvinum* ex Italia aliquot juristas secum in Hungariam adduxisse, qui tamen per lites & Juris stratagemata tot excita- verint turbas, ut pro pace & publica quiete reducenda eos ex tota Hungaria expellere co- actus fuerit. Pluribus id, C. VII. Con- firmabitur.

Suetonius scribit Imperatorem Domitianum legem tulisse, ut Advocato, qui causam ultra annum protrahiceret, exilii poena esset. Utinam omnes Principes idem statuerent!

Ludovicus XII. Rex Galliarum vilipendit. *Advocatus:* Dicens, sicuti sutores alutam dentibus & forcipibus dilatant & extendunt, sic *Advocati* causas extendunt, praerogant, & non raro ex una duas, tres vel plures efficiunt.

Alphonsus Rex Arragoniae intelligens medium quendam professione sua derelicta agere causidicum, & universam urbem suis actionibus turbare, decrevit, ut omnes cause deinceps, quas hic defenderet *Advocatus*, re ipsa iniquae censerentur. *Gnomothec.* n. 478.

Ipse Tullius Cicero *Advocatorum*, quotquot mundus habuit, summus de multis suo tempore causarum patronis exiguum habuit aestimationem.

L. Apuleus Saturninus elegantissimus visus
C eit,

est, magis tamen specie & motu atque ipso amictu, quibus capiebat homines, quam auct dicendi copia aut mediocritate prudentiae. O Quot hoc seculum alit Saturninos, qui talis speciem Causidicorum præseferunt.

C. Servilius Glaucia post natos homines improbissimus, sed peracutus & callidus, cum primisque ridiculus ex summis & fortunæ & vitae fôrdibus Consul tandem factus. Et tales nostrum ævum videt.

Abutius cognitor & viduarum defensor, litigiosus ineptus ac stultus inter viros, inter mulieres peritus juris ac callidus, ut scribit orat. II, pro A. Cœcina. n. 14. Et tales hodie plures reperiuntur. Jus etiam profitentur qui nesciunt inquit Cicero tom. I. de orat. p. m. 372.

Popilius Advocatus ad testimonium in causa quadam dandum erat citatus. Hic cum dice- ret se nihil scire, Cicero reposuit: De juris prudentia fortassis interrogari te existimas. Qua correctione juris ignorantiam argute reprehendit. O de quo idem dici posset hodie in jure ignaris, Advocatos agentibus?

Habent ejusmodi inepti, improbi, & ignorantes Advocati ubique adhuc suos posteros. Sunt enim, qui se causidicos profiteantur, cum tamen requisita studia non habeant, neque in praxi versati sint.

Sunt qui probos ac simplices clientes ad lites injustas aut non necessarias seducant, factum invertant, & cum circumstantiis falsis producant.

Sunt

Sunt, qui stratagemata Advocati (Advocaten-Streich) adversus partem non exercitatam, ejusque Advocatum exerceant, sive arguta & dolosa methodo causam evincant.

Sunt, qui clientibus dent consilium & instructionem factum negandi, imo perjurio confirmandi.

Sunt, qui lites ex proposito protrahant, adeoque prolixas positiones multis allegatis adducant.

Sunt, qui multa interrogatoria & articulos defensionales, longasque scripturas confiant, duntaxat ad multum pecuniae lucrandum.

Sunt, qui causas ex dissidentia intricant ad actores circumducendos, & loculos suos dantos.

Sunt, qui sub praetextu aliorum negotiorum & impedimentorum crebros prorogationes & dilationes procurent, & contumaciari faciant.

Sunt, qui à Clientibus magna exigent salario, & varia itinera & correspondentias ad taxam referant.

Sunt, qui parvi momenti causas citra ambages facile finiendas difficiles ac momentosas clientibus suis proponant, ut longo litigio pecuniae multum acquirant.

Sunt, qui prohibitos contraetus cum partibus suis ineant, ad certum quid de quanto litigioso processu finito dandum.

Sunt, qui si ex negligentia in lite quidquam praeterviderint, fatalia procurent, & tamen sibi faciant operam & sumptus à cliente persolvi.

C 2

Sunt,

Sunt, qui candide non dicant, causam injure non subsistere, imo ad processum persuasione & promissione vietoriæ instigent.

Sunt, qui causa deperdita culpam indebit in judicem conjiciant, & clientibus suis persuadeant.

Sunt, qui cum parte adversa, vel ejus Advocato teneant, consentiant, corresponteant.

Sunt, qui æquas à parte adversa ad pacificam compositionem oblationes non suscipiant, & ob proprium interesse ab illa dehortentur.

Sunt, qui sub clientum nomine formalia injuriosa scripturis inferant, & sic ex lite litem concilient.

Sunt, qui operas suas juxta numerum paginarum taxent, scripturas nimis prolixas conficiant, & pauciores lineas in foliis conscribant.

Sunt, qui pauperibus ex officio constituti, aut ex clientum contractu suscepiti causarum patroni easdem negligenter agant, neque debite deducant, & iniquâ compositione finiant.

Hæc Advocatorum crima D. Georg. Paulus Honn in Lexico fraudum (Betrug-Lexico) recenset. Plura enarrabit Abasv. Fritschii Advocatus peccans, & celeberrimi JCri. Reinboldt von Derschau Hodosophja viatoris Christiani p. 278. & seqq. ubi de mendaciis & fraudibus ac dolis variorum mundi statuum agit.

His probe consideratis Advocatorum exorbitantiis summis meritis deprædicanda laudibus venit moderni potentissimi Borussorum Regis

Regis *FRIDERICI* Prudentia atque Clemencia, quando ad promovendam subditorum suorum felicitatem, ratione Reformationis aliquot mille Causidicos concernentis, urbis vesaliensis, cœterarumque civitatum portis, Ecclesiarum valvis, aliquo locis publicis affigi fecit ordinationem Regiam, ut imposterum quælibet civitas & districtus Regni sui, & territoriorum Electoralium non nisi certum numerum eumque valde modicum Advocatorum, Procuratorum aliorumque justitiae subseu præpositorum habeat, ut *Gazettæ Gallicæ Monasterienses* n. XXXIX. nec non relatio statutis Europæi apud eosdem impressa n. XI. numer per indicârunt.

Quod Edictum publicatum inter alia primo loco memorat, quod sua Regia Majestas ipsa supplicantibus subditos audire, eorumque libellos supplices acceptare dignabitur, quod & ipsum fuit Magnæ Britanniae Reginis Jacobi ad filium monitum, ut superius relatum est.

Porro ordinatio Regia ad Num. 3tium verbis expressis continet, ne Advocati à Clientibus consulti iis ad processus dubios dent consilia sub poena sarraci, seu vehiculi trusatilis. (bey Straff der Schiebfarrn) Num. 4to, quod omnes præsentes & futuri processus intra anni spaciū terminari debeant, quæ ut supra dictum *Domitianus* quoque lex fuit. Num. 5to demum, cum observatum fuerit judices & Advocatos & consultores tantum de Clientibus suis sumpsisse, quantum solvere potuerunt, quod hi nil amplius acceptare debeant,

quam quod iis causa plenè finita à Tribunalij iustitiae adjudicatum fuerit, sub pena jaēturæ honoris, imo vitæ, quod ut magis effectui redatur, denuncianti Advocatum, qui contra egerit, praeter gratiam Regiam duo Ludovici aurei pro recompensatione promittuntur, ut sic tandem (ita concludit Regium Edictum) territoria Regis à perditis his insectis (Ungeszieffer) depurentur & liberentur.

O lex vere sancta, æternis digna annalibus, & perennem Regi potentissimo conciliatura memoria! utinam haec per universum orbem introducta publicaretur! quantum id solatii miseris & saepe improbis causidicorum exactionibus tantum non exhaustis tribueret! ita tot non forent Rabulæ forenses, non tantus ubique foret Advocatorum numerus, nullus per iniquos processus evacuatis litigantium bursis ditesceret legulista. Si enim ubi dubius est causæ eventus, Advocatus consilium & operam præstare non audeat, multo minus, ubi plus quam certus est causæ pendendæ metus (cui sane alterutra litigantium pars exposta est) servire non poterit; ergo si ex advectionis acquestu vivere necesse sit, præstabat eum potius esse straminis prosecutorem quam causidicum. Experientia docebit, sic paulatim in Terris Borussicis (utiam & alibi!) immuniendam noxiā Advocatorum multitudinem. Vivat igitur, imperet Nestoriis annis Tantus legislator.

CA-

C A P U T . IV.

Medici semper majori in honore habiti sunt à Cæsaribus, Regibus, & Principibus, quam Jureconsulti nedum Advocati.

Argumentum quidem hoc ex priori capite satis elucescit, dum alii Reges Advocatos vilipenderunt, alii fugiendos, alii ex patria eliminandos esse judicarunt, cuius tamen nihil simile de Medicis in annales relatum est. Probabo tamen nunc Medicos à Mundi Rectoribus Caufidicis præpositos esse. Affert ejus Exemplum Cl. Meibomius in Formula Comitis Archiatrorum Aurelij Caffiodori.

Richardus II. Angliae Rex anno ccccclxxxiv. in vigilia purificationis Divæ Mariæ Virginis in Academia Oxoniensi in plena convocatione Regentium & non Regentium sub fide convocatorum Decreta sancivit, ut Doctor Medicinae dexteram partem Cancellarii in congregationalibus & convocationibus retineret, & non sinistram Doctor vero in jure civili partem sinistram & non dexteram, ut refert Brianus Tivinus Apolog. pro antiqua Academia Oxon. L. III. n. CXXXVI. Atque eo Decreto etiam Cantabrigienses Medicos gaudere ex Joann. Caji l. i. de antiq. Acad. Cantabrigiensi.

Dictum eximum est Arnoldi de villa nova in Cautelis medicorum, quod primus locus in mensa soleat servari Sacerdoti & Medico, quod Jo. Michaelis Savanorolæ exemplum confirmat. Curaverat is feliciter à gravi & periculo morbo magnum Hetruriæ Ducem, qui

prima vice ad mensam redditurus jussicerat juxta se locari sedem vacuam. Mirabantur omnes aulæ Ministri, & exspectabant, quis istam esset occupaturus. Adveniens Dux mensæ assessorus secum adducebat Savaronolam, quem proxime sibi assidere jubebat, supra omnes qui in aula erant, magnates, consiliarios ac ministros, ad quos inquit, hic meæ vitæ unicus est assertor, huic soli salutem debo, quam vestrum nemo mihi tribuere potuit. Ergo merito, quod video vos mirari, sedem meæ proximam occupat. Quantæ autem scientiæ atque experientiæ fuerit Savanorola, ex indice ejus librorum à Lippennio collectorum facile quis conjecturare poterit. Habui sæpiissime honorem, Principum assidendi mensæ, ac prandendi, sed nunquam ibi præsentem reperi Advocatum, ex quibus liquet, quantum prærogativæ Princeses Archiatris suis tribuant,

Dicam nunc etiam quantum authoritatis in proprias personas Gothorum Reges cesserint, ut refert Cassiodorus in variis l. 6. Postquam in Italia rerum potiti barbariem exuere cœperunt Archiatris suis corporis sui potestatem dederunt hæc formulæ: *Indulge de palatio nostro, habeto fiduciam ingrediendi, que magnis solent pretiis comparari.* Nam licet alii subiecto juri serviant. Tu rerum Domino studia præstanti observa. Fas tibi nos fatigare jejuniis, contra nostrum sentire desiderium, & in locum beneficii dictare, quod nos ad gaudia salutis excruciet. Talem tibi denique licen-

licentiam nostri esse cognoscis, qualem nos habere non probamur in cæteros.

Refert hunc quoque textum *Bernardus Rammazinus* l. de Princip. valet. tuenda. c. 2. ubi porro hoc addit monitum. Hinc discant nostrorum temporum Principes, quales se gerere debeant cum Medicis, quos non ut mancipia considerare debent, sed ut ita dicam tanquam familiares. Seponant enim oportet aliquid de sua gravitate, si quotidianis fere colloquiis cum iis agere debeant in secunda valedudine, ne postea cogantur in adversa duris illorum præceptis intempestivè obsequi. Si enim Medicus ad Principem non facilem habeat accessum, ac in illo comitatem quandam non reperiatur, nec ausit hiscere, nisi cum ab illo de re aliqua fuerit interrogatus, quamvis quædam observet, de quibus illum admonere debeat, nihil audebit proferre, ac illa in sinu suo tacitus recondet.

Medicos fuisse Cæsarum, Regum, & Principum Domesticos, Amicos, convictores, familiares imo familiarissimos apud omnes gentes. Persas Graecos, Romanos fuse probat in Commentario ad Aur. cassiodori formulam Comitis Archiatrorum *Henricus Meibomius*. Fundamentum amicitiae cum Principibus offert *Seneca* l. 6. de Benefic. c. 15. & 16. quod accipiant à Medico rem inæstimabilem vitam ac valetudinem bonam. Unde eos in Comitum numerum fuisse receptos, & comitivæ nunc primi, nunc secundi, aut etiam tertii ordinis honore fuisse ornatos constat. *Franciscus*

ciscus Robertellus quidem, quam Causabonus allegat, ineptum & vanissimum appellat, neque verisimile putat, ulli medicorum, utpote qui servi fuerint Romæ, cum honorem habitum, ut inter amicos Cæsarum censerentur, quod tamen parvam in antiquitate notitiam arguit. Medicos enim fuisse Magnatibus Romanis amicos Tacitus evidenter testatum facit 4. Annal. c. 3. ubi appellatur Eudemus Amicus & Medicus Liviæ, & 6. Annal. 50. Charides Medicus Tiberii Cæsaris amicus, & Suetonius c. 91. Antonium Medicum Augusti amicum appellat.

Operæ pretium nunc est ut quis honor protoparenti Medicinæ Magno Hippocrati ab Artaxerxe fuit oblatus, memoremus, licet enim illa Medicis aliunde nota sit historia, Causidicis tamen paßim ignota est, quam tamen eos scire expedit, ut juvenes Advocati addiscant, quantus honor jam à primis Medicinæ cunabulis Medicis fuerit exhibitus. Cum ergo patriam suam à peste liberâssest Hippocrates, ad eum sequentes litteras scribi fuit Artaxerxes.

Magnus Artaxerxes Rex Regum

Hystani Hellesponti præfecto salutem dicit. Hippocratis Cvi Medici ab Æsculapio genus ducentis ad me medicæ artis decus pervenit. Quantum igitur aurum voluerit, illi dato, cœteraque fuse & abunde, quorum eget, & ad nos mittito. Æquo enim honore apud nos erit, quo & persarum optimates, & si quis alias probus vir in Europa fuerit, hunc amicum Regiæ familiae conciliato, nihilque opibus par-

parcito, viros enim, qui Consilio & prudenter polleant, non facile est invenire. Vale.
Ut huic Regis sui mandato satisfaceret, sequentes litteras ad *Hippocratem* dedit *Hystanes*.

Hystanes Helleponi Praefectus

Hippocrati Medico ab Æsculabio genus ducenti
Salutem & gaudium dicit.

Magnus *Artaxerxes* Rex tui egens ad nos Praefectos misit, mandavitque, uti tibi & auri & argenti, quantum volueris, coeteraque quorum egeas, abunde tradamus, ad se teque celerime mittamus, nam eodem honore apud eum censeberis, quo & persarum optimates. Tu ergo quam primum venito. Valebis.

Hippocrates autem pro more suo breviter respondit.

Hippocrates *Hystani* Salutem.

Ad Epistolam, quam ad nos miseris, dicens, uti quam primum ad Regem veniremus, quæ dico & respondeo, quam celerime Regi mittito, quod vestigalibus, veste, domo, reque omni ad vitam degendam necessaria cumulate fruimur, mihius fas non est persarum opibus frui, nec barbaros homines à morbis liberare, cum Græcorum infestissimi hostes sint. Vale.

Quia vero *Hippocrates* in gravi hoc negotio amici sui *Democriti* Philosophi Consilium libenter scire vellet, hasce lineas ad illum perscripsit:

Persarum Rex ad se se accersivit nescius apud me Sapientiae rationem plus valere, quam quodvis aurum. Vale.

Refusorium hoc *Hippocratis* responsum *Hystanes*

stanes magno suo Regi per eundem allegatum Gymnasten Dicutychen remisit, quo plane excandescens Rex Senatui & populo Co sequentes litteras comminatoryas per legatum transmisit.

*Artaxerxes Rex Regum
ad Coos,*

Hippocratem Medicum nunciis meis date malos mores habentem, & in me & in Persas insultantem & obloquentem. Si minus, scitote & vos primos sceleris & errati ejus poenas datus. Nam bello persequar, vastabo, diruam urbem vestram & insulam, & in pelagus pessum dabo, ne posthac unquam fuerit nec hæc loco insula vel Coos urbs dignoscatur.

Nolebat autem Senatus populusque Cos Regia hac Epistola perterreri, & suum patriam & concivem, amore patriæ tam potentis Regis munera atque gratiam recusantem legatis Regiis extradere, unde hos virili hac resolutione rursus dimiscebant.

Coi nihil Merope, Hercule, & Æsculapio non dignum facient, quorum causa cives omnes *Hippocratem* non dandum non dabunt. Tametsi pessime perituri sint, *Dario* namque *Xerxique* ejus avis litteras ad se se scribentibus terram & aquam à se potentibus populus Cos non dedit, cum eos videret, si contra se venirent, posse sicuti cœteros homines perire. Quamobrem ô nuncii, qua via venistis, eadem à Cois abite, vestroque Regi nunciate, quod Hippocratem non dandum non dabunt,
quod

quod & Di nostri non & nostrum curam non habebunt.

Plura in Gloriam magni *Hippocratis* & *Thessali* ejus filii & *Democedæ* & *Thadei* lege apud *Bitterkraut* in Thren. med. c. 18. p. 628.

Dicam nunc quibus gratiis, donis, privilegiis, honoribus Medici fuerint præ juristis à Cæsaribus affecti. Romani *Antonio Musæ* postquam Cæsarem *Augustum* curasset, in gratitudinem statuam æneam prope Æsculapii statuam erexerunt. Ipse autem Cæsar eundem pretioso annulo donavit, & in dignitatem equestrem elevavit, imo & aliis Medicis concessit libertatem aureum annulum gestandi, quæ tum temporis magna erat dignitas. *Plin.* l. 29. c. 1. *Rhod.* l. 6. c. 12. *Dion.* l. 53. Nec minus propter hanc curationem omnes Medicos ab omnibus oneribus civium liberavit, quam immunitatem postea Romani Cæsares *Vespasianus*, *Hadrianus* aliquique plures literis expresse datis confirmarunt. l. ult. ff. de muneribus. Nec minus *Julius Cæsar* Medicis jus urbis Romæ, quod tum quid magni erat, & solis bene meritis tribuebatur, impertivit ut testatur *Suetonius* in vita *Julii Cæsaris*.

De immunitatibus Medicis concessis informationem Advocatis dabit *Gothofredus* in l. 1. §. c. 5. de commun. serv. manumiss. Invenitur in jure specialis lex Cæsaris *Constantini Magni* l. 10. Cod. de Profess. & medic. Tit. 52. l. 6. in qua Medicos & maxime Archiatros ab omnibus oneribus civilibus immunes esse præcipit. de qua lege *Gothfredus* his verbis loquitur

tur. Hinc etiam vi legum milites aut judicem hospitandum non recipiunt, neque Equasiae aut Camelasiae oneri sunt addicti, nec ad judicem deducuntur, nec eximuntur, vel exhibentur, vel injuriam patiuntur ullam, & si quis eos vexaverit, poena arbitrio judicis plebetatur, ac ne ullo modo vel in curatione vel institutione præpediantur, publico eos salario Imperatores frui voluere. Cæsar quoque *Julianus* specialem quoque legem sive Decretum super immunitate medicorum concessit, de quo videatur *Mercurialis* l. 1. de Art. Gymnastic. c. 1. Hæc cui non sufficiunt videat *Gasp. à Reges Elys.* jucund. Quæst. Campum Qu. 4. p. 78. & 79. de Medic. immunit & privileg.

An Romani Cæsares unquam talia privilegia Advocatis dedere. Dixi supra *Antonii Musæ* honoribus erectam statuam, qualis etiam *Claudio Galeno* sub regimine Cæsaris *Commodi* Romæ posita est. An ulli etiam Advocato? quænam illa & ubi?

Addam pauca de donis. Juristæ quidem gloriantur de magnis professionis suæ lucris allegantes illud *Martialis* l. 2. Epigr. 30.

Is mibi dives erit, qui causas egerit.

Sed revera, longe majora sunt Medicorum præmia, & non raro collata iis dona, quam quæ summa etiam Advocatis taxa importat. Scribit *Plinius* Erisistratum, postquam Regem *Antiochum* feliciter sanasset, ab ejus Filio *Ptolomæo* Centum talenta, quæ juxta Budæi calculum summam 60000. nostrorum Ducatorum faciunt, pro remuneratione accepisse sequen-

sequentibus Medicis nempe *Cassio Annutio, Capetano, Albutio & Aubrio* pro Salario 250. festertia, quæ juxta Budæi calculationem 6250. Coronatos aureos faciunt, annuatim sol- vebantur, *Cratero* autem quotannis quinque ejusmodi Salaria, quæ summam 32250. Co- ronatorum in auro faciunt. *Herodotus* in Tha- lia testatur *Demociden* ab Agrigentinis talentum pro annuo Salario accepisse, ab Atheniensi- bus vero 100. minas, quamlibet ad 10. Coro- natos, & à *Polycrate* duo talenta hoc est 1200. Coronatos. *Suidas* narrat *Cosroën* Persarum Regem Archiatro suo pro cura prospere per- acta tantum dimissionem aliquot Romanorum petenti illorum 3000. & quot quot supra hanc summam virorum Doctorum ex captivitate desideraret, donasse. Rex *Dameibus Podali- riu* filiam suam Principissam *Syrnam* ab eodem curatam cum magno regni districtu in uxo- rem dedit.

Si quis dona à Recensioribus Imperatoribus Medicis data scire avet, adeat *Eneum Sylvium, Bonfinium, Dubravium*, nec non ipsum Jurisconsultum *Accursum* in Procœlio Dige- storum. Verificatur igitur quod Sacer Codex Ecclesiast. c. dicit. *Disciplina Medici exaltabit caput illius & à Rege accipiet donationem. Quam vero Advocatus? profecto nullam.* Non enim jussit Deus honorare Advocatum. Ne- que juris peritia si qua forte adesset, illorum Caput, ut Medicorum, disciplina exaltat. Adhæc Reges longos non ducunt processus: Si quas habent causas, ferro & igne dirimunt.

Non

Non habent igitur Advocati, quæ à Regibus exspectent, munera. Imò si Reges naniscantur justos, sèpius infelices sunt. Refert *Lip-sius* in Monitis politicis de *Jacobo Aragonum* Rege, qui litibus & litigiosis semper infensum se præbuit. Semenum *Radam* insignem & primarium ea ætate Jurisconsultum, quod ejus argutia aut malitia multi se afflictos quererentur, prævaricatoris lege postulatum regni finibus ejecisse narrat idem c. 10. *Galeaceum Duceum Mediolanensem*, cum aliquoties audisset vafro ingenio Causidicūm lites ferere & satas producere, atque etiam in liquido jure alere posse, excogitasse stratagem, & hominem ad se accitum ita affatum fuisse: Debeo inquit Pistori meo centum aureos: non lubet solvere, tu ecquid tueri me in jure & rem protelare potes? Annuit largiter, & Principi promptum se dedit, sed iste ei malum: Nam fraudis sic confessum, verbis prius increpitum laqueo publice necare jussit.

Si talis hodie vigeret justitia, qui honoratam prædandi artem profitentur litium patroni, qui in alienas fortunas impetum faciunt, si vel laqueo suffocandi vel in exilium mittendi forent, in quot fatalis illa sors caderet! ô quot per tales specie juris bonis suis privantur! etiam per leges in pravum sensum detortas. Illi multo nocentiores sunt apertis hostibus, inquit *Conzenus* l. 5. Politic. c. 20. nam absque suo periculo alienas fortunas invadunt, plures enim specie juris in Rom. Imperio rebus execun-

exuuntur, quam olim bello. Vetus querela est:

*Iminet armorum rabies, ferrique potestas,
Confundit jus omne manu, scelerique nefando
Nomen erit virtus multosque exibit in annos.*

Nostra querela est:

*Iminet citra fori rabies legumque potestas,
Confundit jus omne stylo, scelerumque nefando
Nomen erit virtus. Ita Conzenus. l. c.*

Non tantum certi Principes, ut infra latius deducetur, Advocatos, sed etiam ipsas leges justinianaeos ex territoriis suis præscripsérunt. Apud Gallos Capitali constituta poena Leges & Imperatorias constitutiones à patronis & Advocatis citari vetitum esse scribunt Taboet de Parad. Reg. Sect. 1. fol. 40. Petr. Greg. l. 18. c. 5. Sect. 2. Rex Alphonsus, ne viderentur Reges Hispani juris Justinianæ leges observare, leges Hispanicas Compilari jussit, teste Tapia in l. finali c. 3. p. 1. n. 24. de Constit. Princ. Stanislaus Orickovius in Oratione funebri Sigismundi Imp. asserit leges civiles, tanquam carmina Romanæ servitutis regno pellendas.

Non caret aculeo latum illud in Parnasso contra Jureconsultos Appolinis Decretum memorante Boccalino Cent. 1. Relat. 83. cum enim Reges Hispaniarum prohibuissent, ne Doctores juris in Indiam navigarent, adeoque hi ad Apollinem appellassent, allegando, nil absque Jurisconsultorum consensu & approbatione laudabile posse concludi, & ex Jurium studio cœteras quoque artes liberales dependere, qua-

D

rum

rum & juristæ præcipue sunt magna opera & sumptu studiosi. Quibus mox iræ & impatientiae impetu correptus Apollo respondit: Se mirari juristas hoc in præsentia sua audere allegare, cum tamen cuique notum sit Editum Delphicum, in quo studium juriſ non ars liberalis sed opificium declaratur homines ceu singulari quadam pœna torquendi & vexandi, in quo neque sit voluptas neque gaudium, neque singularis ingenii dexteritas, & quot quicunque illi se applicant, id ex avaritia & lucrandi cupiditate faciant, ad se imperialibus, ut porci glandibus, saginandos, nam etſi ejusmodi homines ingenio non sunt adeo excellenti, quale ad cetera studia requiritur, facile tamen evadere possunt in magnos Advocatos, si modo habeant bona capita boum & dorsa asinorum, ut laboribus exantralidis & curru in cœnum adigando sufficiant. Ita Apollo.

Plura sunt dignitatis & prærogativæ medicæ argumenta unicum faltem huic capiti addam. Nempe apud gentem judaicam moris fuisse, ut non ex Juristis sed Medicis Principes populi desumerentur. Textus ipse sacra-rum litterarum fidem facit apud Esaiam c. 3. v. 6. 7. 8. hujus tenoris: *Apprehendet enim vir fratrem suum domesticum patris sui dicens: Vestimentum tibi est, Princeps esto noster. Ruina enim hæc sub manu tua. Respondebitque in illa die dicens: NON SUM MÉDICUS, & in domo mea non est panis, neque vestimentum, nolite me constituere Principem populi. &c.* Historiæ docent plurimos antiquissimis tem- poribus

poribus apud gentiles fuisse Medicos, & simul Sacerdotes & Reges, ubi saltem Reges oportebat prius fuisse Medicos, unde sapientiam, quæ in exercitio Medicinæ requiritur, ad regale officium recte adimplendum, quoque necessariam esse non inepte colligitur, propterea Plato Regis officium Medici officio comparabat, ut ad debitum æquilibrium omnia metiatur, quod Medicina recte utentis proprium est, quam à Medio, non autem medendo dictam scribit *Isidorus*. Supponitur autem medicum in primis esse virum sapientem, attestante medicorum Principe *Hippocrate*, qui libro de decenti ornatu in proem. Libr. I. dicit: *Oportet medicinam traducere ad sapientiam, & vicissim sapientiam ad medicinam transferre.*

C A P U T V.

Quia paucissimi in juris studio perfecti sunt, in scientia vero medica plures, medicos perfectos imperfectis Advocatis merito anteferendos esse ostenditur.

SI considerentur verba celeberrimi P. Gerhardi *Hagemanni Tr. de Omnigena Hominis Nobilitate l. 2. Tit. 10.* quibus Jus civile sequenti modo describit: Jus civile mole labarat sua, & hæc moles plane indigesta est & confusa, quæ difficultatem inextricabilem patit, ingenium studiosorum obruit, memoriam onerat ac debile juventutis judicium multitudine ac varietate rerum confundit, ut paucorum

rum sit profectus. Nonne stomachus noster id rejicit, quod digeri nequit? idem evenit debiliori ingenio. Institutiones exoletis juri bus ubique scarent, nec totius legitimæ scientiæ plena sunt elementa. Digesta indigesta mole laborant, legibus exoletis, & confusione maxima, Codicis & Novellarum nullus est ordo, quid igitur mirum, si generosa ingenuaque juventus exiguum in Academiis profectum hauriat? Si quis inquam, hæc consideret, sequitur paucissimos in juris scientia esse perfectos, ideo locum habet, *Multi Advo-
cati, pauci electi*, quia nec ingenium omnes habent illud addiscendi, nec memoriam complectendi, nec tempus illi studio debitum impendendo patientiam habent. Se illo consolantes:

*Sclendria fit pluris quam tota Scientia juris
Et illo Omeni l. 3. Epigr. 129.*

*Judicibus plus quam juri studuisse juvabit,
Hos tibi quam leges conciliato prius.*

Unde paucos invenias Bartholos, paucos Cujacios. Illorum multitudine nunquam laborat aliqua civitas. Imaginantur sibi juvenes justam facile, ut studiis vix humanioribus absolutis, & ne quidem vix salutato Philosophicæ linime Coeco quodam impetu ad illius studium properent, ut vix celerius Ladas aliquis aut cum pegaso suo Perseus, & tum demum egregios se credunt Jurisconsultos & Themidis filios; si legum superficiaria cognitione imbuti, cœtera ignorantissimi, primoribus quod

quod ajunt labris Justinianum suum aut Codicem delibârint, unde & pati debent sibi exprobrari;

In institutis magis muti estis brutis.

In Codice didicistis modice.

In novellis similes estis asellis.

In digestis nihil potestis,

Et tamen Doctores estis.

Non nemo apud *Wilhelmum Zinckgreven* in *Apophthegm.* p. 285. veteranus Jurista dicebat Juris cortices, tam multos & tam crassos esse, ut plures masticando dentes amittant, antequam ad nucleus & medullam perveniant. Experientia testis est, quam pauci hodie sint Tullii, Hortensii, Antonii pauci verè diserti: Loquentiam habent, non Eloquentiam. In multorum, ut vocant, producētis verborum & allegatorum ex Repertoriis sonitus est sine scientia. Imperitiam scribentis inanis illorum copia arguit, & longa periodo circumducta scriptio. De qua plurium advocatorum suada longus posset texi discursus, si propositum foret, istum Causidicorum stylum, quasi Curiæ, tam idiomate germanico, quandoque trahalem, quam præcipue latino, turbido ac tumido grallis quasi incidentem ad debitam analysin revocare. Redeo ad probationem mei tituli.

Olim diversa juris studiosis nomina fuere pro ratione temporis quod illi impeniderunt. *Justinianus* illa recenset Ep. de Juris docendi ratione. Nam qui primo anno illi operam dabant, per jocum ridiculo nomine *Dupondii*

vocabantur, quasi Diobulares, ut Cuiacius explicat, Dupondius enim minuti nummi est genus. Tertii anni auditores Papianistas vocari ipse author est. Quarti anni *λύτραι* vocati sunt, tanquam solvendis quæstionibus idonei. Quinto anno, quo studium juris finiebant *πρειλυτας*, nominabantur. Primo anno dicebat *Reuchlinus* putant esse Justinianos, secundo anno incipiunt dubitare, tertio scire, quod nihil sciant, quarto tum primum addiscere, unde quinquennium olim juris studio dabatur. Nunc vero qui uno alterove anno institutionibus descendis vacarunt, Doctores juris & Advocati audire gestiunt, & Medicos etiam veteranos praecedere. Non dubitat *Tullius* hos primum inertiae condemnare, post etiam impudentiae. Rationem in orat. num. 173. addit: Nam volitare in foro, hærere in jure ac Praet. Tribunalibus Judicia privata magnarum rerum obire, in quibus saepe non de facto, sed de æquitate ac jure censetur. Jaectare se in causis centumviralibus, in quibus usucaptionem tutelarum, gentilitatum, agnationum, alluvionum, circumluvionum, nexorum, mancipiorum, parietum, luminum, stillicidiorum, testamentorum, raptorum aut ratorum, cœterarumque rerum innumerabilium jura versantur, cum omnino quid suum, quid alienum, quare denique civis an peregrinus, servus an liber quispiam sit, ignoret, insignis est impudentiae. Tandem infert num. 175. Quid si ne parvæ quidem causæ sunt, sed saepe maximæ, in quibus certatur de jure civili? quod tandem

dem os est illius patroni, qui ad eas causas si-
ne nulla scientia juris audet accedere? plura hic
adducit causarum amplissimarum exempla de-
mum concludit num. 184. Hæc & horum si-
milia ignorantem, erectum & celsum alacriori
prompto ore ac vultu hoc atque illuc intuen-
tem vagari magna cum Caterva toto foro præ-
sidium clientibus, atque opem amicis & pro-
pe cunctis civibus lucem ingenii & consilii
sui porrigentem atque tendentam nonne in pri-
mis flagitiosum purandum est? ita Cicero.
Certe si Advocatos in omni supradicto jure
versatissimos causæ postulant amplissimæ, quid
fentiendum de fucis & fungi Advocatis?

Plures sunt, qui Advocatos agunt, qui ne
quidem latine neverunt loqui, multo minus
causas in illis dicasteriis, in quibus ea lingua
opus, accurata diligentia proponere. Cicero
tamen in Advocatis requirit, & magna laude
afficit latine loquendi expeditam & sine mo-
lestia diligentem elegantiam, imo dicit turpe
esse nescire. In Bruto seu de Clar. orator.
num. 140.

Quibus consideratis orat. XXXI. pro Caio
Plancio §. LXII. Tullius querit: *Quotus enim*
quisque disertus, quotus quisque Juris peritus est,
ut eos numeres, qui volent esse? & brevi ante.
Queris num Dissertus? imo quod secundum est,
ne sibi quidem videtur, num Jurisconsultus. - -
Omnis enim istiusmodi artes in iis reprehendun-
tur, qui cum professi fuerint, satisfacere non
possunt. Exemplum adfert de fabris & texto-
ribus de villico, quem pecori præficiimus, in

quo nihil nisi frugalitatem, laborem, vigiliam esse curamus.

Tullius de orat. num. 172. scribit *Antonii* incredibilem quandam & prope singularem & divinam vim ingenii esse, ut etiam si scientia juris nudatus sit, possit facile cœteris armis prudentiae causas tueri atque defendere, quamobrem hunc unum excipit. Cœteros omnes sui temporis vel inertiae condemnat, si ignari legum vel juris civilis sint, vel impudentiae, si nihilominus civilium controversiarum patrocinium suscipiant, quo nihil dicit esse turpius. Dicit quidem plures in conviviis facetos, dicaces, nonnunquam etiam ad vinum disertos, sed aliam esse fori vim, aliam triclinii, alium juristarum alium commessorum conspectum, lucem denique aliam longe esse solis, aliam lychnorum, de orat. tom. 1. num. XXI. O si hodie *Cicero* revivisceret, & in una urbe tot spectaret Advocatos, quomodo impudentiam miraretur eorum patronorum, qui cum parva nesciant, magna profitentur, aut ea quæ maxima sunt in jure civili, tractare audent in causis, cum ea nesciant nunquamque didicerint.

Interim ejus artis sc. Caufidicinæ arrogantia subnixi ambulant, ut ipse dicit n. CCXLVI, & ad causas agendas veniunt nudi & inermes, nulla cognitione rerum nulla scientia ornati, & si aliquid habent juris scientiæ, ne ejus quidem universi. Nam Pontificium (ut *Cicero* vocat) hodie Canonicum, quod est coniunctum non didicerent (licet se juris utriusque

Docto-

Doctores scribant) aut eloquentiam in clamore & in verborum cursu positam putant, omnium verò bonarum artium, denique virtutum ipsarum societatem cognitionemque non norunt: quæ ipsa sunt verba Tulliana,

Quam autem inanis sit Doctorum Titulus sine eruditione, ex sequenti graphica inductione Samuelis *Puffendorfii* in apologia contra N. B. quam totam nitoris causa hic exscribemus, quilibet fungi Causidicus poterit colligere, ut mutato nomine de se fabulam agi cognoscat: Est igitur aliquis studiosus Nicolaus Bekmannus, non quidem auream sed plumbeam in litteris mediocritatem sectatus, qui ad munus aliquod involandum non parum sibi Doctoris titulum profuturum sperat, (vel etiam ad divitem uxorem sibi procurandam) is abit in Galliam, pecuniam Professoribus offert, in cathedram dicitur, per sesqui horam silet & erubescit, quod Disputationis inauguralis loco habetur: post mitra imponitur, Doctor creatur, renunciatur, proclamatur, ab omnibus pro tali haberi & honorari jubetur. Hic ne comediam actam credamus, repente ex omnientium moralium genere aliquid ipsi fuit superimpositum, in novum statum seu ordinem jam protruditur, in quo antea non erat. Nova quoque persona ipsi imponitur. Qui enim antea simpliciter Dominus Nicolaus erat, jam Dominus Doctor Nicolaus & quidem utriusque juris factus est. Ex classe quantitatum moralium nova quoque existimatio ei superadditur, qui enim antea frater ignorantiae habebatur,

D 5

batur,

batur, jam ubi nomen Doctoris insonuit, à Rusticis creditur omnia scire & posse. Ex clas-
se qualitatum moralium superadditur eidem
novus titulus, ut Doctor audiat, qui Asinus
est. Confertur potestas publice docendi, & vo-
cationem nanciscatur. Salarium eo nomine
accipiendi, si detur. De jure respondendi, si
quis eum consulere velit. Denique obligatio ei
injungitur, ut quando de jure consultitur, in
ejus Principia ne impinget. Tanta moles en-
tium moralium imponitur & superadditur ho-
mini, qui jam physice erat perfectus, id est,
qui corpus & animam oculos & aures, ma-
nus & pedes, ventriculum & jecur habebat.
Superadditur Dico, quia substantiam & ejus
qualitates physicas per se entia moralia non af-
ficiunt aut alterant. Postquam enim Doctor
renunciatus fuit, non fit longior aut crassior,
nec accipit novum membrum corporis. Si
ante habuit Caput acuminatum, illud non fit
deinceps rotundum, non fit quoque vel pilo
melior vel doctior. Non saltat elegantius quam
antea: Non digladiatur dexterius, non levius
ineptit. Ex accidenti tamen fieri potest, ut
entia moralia occasionem præbeant qualitates
physicas augenti aut depravandi. Nam quibus-
dam titulus irritamentum est ad eruditionem
parandam, ut fiunt quod audiunt. Aliorum
ruditas augetur, dum tituli inani sonitu ad-
quiescunt. Nonnullis gravitas & modestia,
aliis fastus & stolida jaætantia accedit. Ita scite
Puffendorfius. Qui quoque Tr. de jure Nat.
& Gent. l. 5. c. 1. sane erubescendum est, scri-
bit

bit ordini litterato, alicubi talem sibi licentiam
hic sumere nonnullos, qualem joco exprime-
bat *Fabius Benevolentis JCrus*, apud *Janum*
Nicum Erythraeum Pinacothec. 11. c. 29. qui
cum iret, ut non neminem Doctorem crearet,
forte in via in Afinum incidit, qui diducto
rietu speciem quandam ridentis efficiebat, in
quem intuens, *quid rides, inquit, inepte? Te*
quoque possumus, si nummi veniant, in nume-
rum atque ordinem Doctorum impellere.

Verum pro his illi Promotores respondeant,
qui sumunt pecuniam & mittunt Afinos in
Germaniam. Jam dudum vero ejusmodi pro-
moti eruditis in ludibrium cesserunt. In Re-
lationibus ex Parnasso Cent. 3. Relat. 1. Apol-
lo declarat nudum Juristam seu merum Docto-
rem nullum aliis scientiis imbutum merum es-
se Afinum, nam certum esse illum non posse
haberi pro viro docto, qui nil nisi corpus ju-
ris callet. Constituebat aliquando in Parnasso
convivium Apollo, jubebatque ut laboribus
omnibus indicarentur feriae, & quarumcun-
que nationum eruditi illi adessent, variisque
scientiarum epulis & vino liberalium artium
optimo reficerentur. Magno jubilo compare-
bant omnes Exceptis solis Jureconsultis, qui
cernentes in dictis hisce feriis nulla celebrari
judicia, & occlusas esse litium cameras, tristes
lugebant, pendulo capite incedentes, & tan-
tum fame non mori periclitantes, cum tamen
reliquis omnibus sufficiens esset necessariorum
omnium ubertas. Ratio erat, quia nudi erant
juristae jam ante ab Apolline pro Afinis ignoran-
tibus

tibus declarati, quibus proin scientiarum reliquarum dulcissimis epulis erat interdictum, unde miseri socii culinas duntaxat perambulabant, pelves & orbes lingebant, cum cœteri eruditi mensæ accumberent lautissimis cibis ex omni scientiarum genere paratis refertæ ita *Boccalinus* Cent. I. Relat. ex Parnasso XXXII.

Satyra haec videri posset, nisi ipsi Jureconsulti assensum huic præberent. Quando enim Advocati se quatenus Politicos inter Eruditos referunt, adeoque Reip. summe necessarios Cel. *Conringius* Tractatu de prudentia civili, Jurisconsultum & præsertim Advocatum quatenus talem Politicum proprie dici haud posse responderet, imo tales penitus à Regimine rerum publicarum ablegat. Quod magis dilucidat *Hippolytus à Lapide* in Praefat. ad lectorem de Ratione status, quando conqueritur multos tanquam longo rerum usu & experientia instructos Consiliis publicis admissoſ esse, qui si recte attenderes, aut Causidicinam aliquamdiu exercuerunt, & meras rabulatorias artes, fori stratagemata venalemque perfidiam spirabant, aut ad summum tribunalibus & juri inter litigantes dicundo seu affuerant seu præfuerant. Hinc ars advocandi pro civili prudentia simpliciter non est reputanda. Advocate, qui

Clamosi rarioſa fori

Jurgia vendens improbus iras

Et verba locat.

nobile Politici nomen non tribuitur. Verba *Conringii* l. c. c. 13. sunt: à quo vero prudentum juris ordine leguleii non minus absunt, quam qui philo-

philosophimeta quædam docti pallio & barbatenus
olim, nunc titulo solo se se offerunt. Veri philo-
sophi non sunt, absit, ut hos promiscue omnes
Reip. reæ gubernandæ idoneos pronunciemus.
Consentit cum ipso Udalricus Zafius admirabilis Jureconsultus, qui docet Jurisprudentiam ex vera philosophia dependere, cum lex sit dogma sapientum, imo & commune præceptum, virorumque prudentum Consultio, & omnino ex Divinarum constet humanarumque rerum notitia. Quomodo (concludit & plures saltem advocatiunculos intelligit) qui nullas philosophiae partes cognovit, qui non Dialecticas rationes, nec ullam elegantis latine rei cognitionem unquam habuit, quin etiam omnium optimarum disciplinarum ignarus quædam fori r̄aframenta ex spec. vulgatisque Commentariis conquisivit, quomodo inquam is juris peritus rete nominabitur? Quomodo in legibus ex veritate colligendis versabitur, cui si à vulgatis istis Salicetis, Curiis aut aliis id genus Commentatoribus discesserit, cum optimis litteris nihil commune fuerit.

Pergo ad Medicos, quos in sua scientia Jureconsultos Advocatos perfectiores titulus asseruit. Medicinæ studium licet æque vastum sit, imo vastius, quam juris, ubi enim desinit Physicus, incipit Medicus, ipsum tamen in suis Principiis, fundamentis, atque omnibus partium divisionibus, majori ordine & claritate ad docendum descendumque dispositum est. Dein plura habet adminicula, quæ illud reddant facilius. Observationes namque cele-

celebrium & Expertissimorum Medicorum, Experimenta Physica, Medica, Chymica, Anatomica, Historiae gravium morborum curatorum plurimum ad illud facilitandum contribuunt. Societatis Leopoldinæ, Carolinæ, Franciscanæ Ephemerides in Germania, Commercia litteraria Norica, Acta Danica, Academia scientiarum Gallica, & Anglicana non minus illud levitant. Verus quidem est Hippocratis Aphorismus, *Ars longa:* Sed breviorem illum subsidia prædicta faciunt. *Vita brevis:* Sed præcepta, Cautelæ, Consilia & monita medica longæviorem præstant. *Occasio præceps:* Sed eam observare nōrunt, Practici in arte versati. *Experimentum periculosum.* Hippocratis quidem hoc erat tempore sub artis initio, sed nunc post tot actus experientiæ repetitos id minus periculosum evalit. *Judicium difficile:* Quod nunc post inventam Sanguinis circulationem detectis genuinis morborum causis longè est facilius. Ut certum sit dari in Germania Medicos, licet numero pauciores, expertiores tamen in sua professione, quam in Juridica Advocatos. Medicus indies observat, experitur, discit, & tandem longo artis exercitio se reddit perfectum. Quid Advocatus ex lite etiam ad viginti pluresque annos protracta haurit eruditioñis & perfectionis? amabo quid addiscit, nisi juris vaframenta, stragagemata, versutias, methodum lucrandi, & quod summum est, stylum curiæ, & praxin saltem judiciariam, quam vulgo. Schlendriam vocant, qua imbuti se magnos Jureconsultos æsti-

æstiment, cum etiam, qui Notariorum mūsea, sive sic dicta hypocausta frequentant scriptionis Canditati, sic dicti scribentes, eam brevi tempore cum terminis Causidicinæ absque omni juris scientia notorie addiscant. Quis autem ejusmodi ignorantibus expertis medicis anteponat.

C A P U T VI.

Nugatoria Chassanei argumenta, quibus medicorum dignitatem imminuere adnititur, explunduntur ac refutantur.

Bartholomaeus Chassaneus Tractatum scripsit sub titulo Catalogi Glorie Mundi, in quo de dignitatibus, honoribus, prærogativis & Excellentia spirituum, hominum, animantium, rerumque cœterarum omnium, quæ cœlo mari, terra infernoque ipso continentur, satis audacter differuit, adeoque etiam de dignitatis prærogativa inter Medicos & Jureconsultos satis temere egit. Argumentis enim ridiculis & nugatoriis illam Causidicis adjudicavit, quæ nunc refutabimus.

Putat igitur, quod status Advocatorum sit honorabilior quam Medicorum, eo quod Medicis detur salarium, quod dabit operam mercenariam, & de eorum honore imminuit. Legistæ autem, id est judices & Causidici non petant salarium, sed iis detur honorarium.

Re-

Respondeo, an illud apud aquas sextias, ubi in Senatu Decuriæ fuit Præses, moris sit, me equidem nescire, in Germania saltem, sive Jūdices sint, sive Principum consiliarii, sive Caufidici, non minus atque ipsis Archiatris Salaria tribuuntur. Recensui jam supra amplissima honoraria à Cæsaribus & Regibus Medicis donata, & ipse facer textus dicit, quod Medicus à Deo creatus accipiat à Regibus donationem Advocatorum certe bursa ex pelle Chamæleontis, adeoque plerumque vacua est. Falsum Advocatos non petere salario, possideo adhuc notabiles Advocatorum taxas, quas ipse persolvi, ubi aliquando pro uno scripto non adeo prolixo sex ad septem imperiales fuerunt soluti. Advocatis datur arrha, solvuntur Diætæ, sive sic dictæ vacantiæ, & satis caré sic appellata producta, duplicæ, triplicæ, quadruplicæ. Advocati igitur multo magis adhuc quam Poliatri sunt mercenarii. Stolidum itaque est hoc argumentum, & quoque falsum in Germania.

Alterum est plane ridiculum. Doctores juris, inquit *Chassanæus* stant sicut sidus in cœlo. Ergo præferendi sunt Medicis. Respondeat pro me *Paulus Zaccias*: Ego autem sidera plures contemplatus, nullum eorum legum peritum inveni, ergo juristæ non præferuntur Medicis. Imò inter sidera cœli communeraatur *Æsculapius* & *Chiron*, qui fuerunt Medici, neque ibi connumerari reperies ullum legum peritum. Astræam certe, nempe justitiam ibi invenies ob id, quod nobiscum stare noluerit sed

sed ad cœlum fugerit, mortales relinquens
juxta illud ovid. metamorph. I.

Victa jacet pietas & virgo cœde madentes

Ultima cœlestum terras Astræa reliquit.

Ita ridiculum argumentum ludicro responso compensat. Quare non dixit, Jureconsultos Astrææ reliquias, nempe corpus juris, possidere, ergo præ Medicis prærogativam mereri?

Tertium argumentum prorsus vanum est. Judæi assumuntur ad Doctoratum in Medicina, sed non possunt assumi ad Doctoratum juris, ut l. fr. c. de postul. eò quod juris Doctoratus sit dignitas, quam judæi habere non possunt, si ergo assumuntur ad Doctoratum Medicinæ, sequitur, quod hic non sit dignitas, & per consequens præferendi sint Jurisconsulti Medicis.

Ipse agnoscit ineptitudinem & insufficien-
tiam hujus argumenti, dum sibi respondet,
quod de facto & non de jure judæi usurpent
Doctoratum in Medicina. Plures jam hoc ar-
gumentum pertractarunt, & ostenderunt esse
contra Canonem, judæum in Medicinæ Docto-
rem promoveri, quia licitum non est, Chri-
stianum clinicum ejus opera uti, neque Medi-
co permisum, cum eodem consultationes ini-
re, ut fuse Celeberr. D. Simon Schultzius in
Ephem. Germ. Cur. Decur. I. ann. 6. & 7.
obs. 151. ex variis Jureconsultis & Medicis
probatum dedit. Utrumque enim sub excom-
municatione & mortali peccato prohibitum.
An non autem, si Judæus Doctor præ ceteris

E

omni-

omnibus Medicis dignus æstimetur, e. gr. Regis Lusitaniæ aut magni cuiusdam R. Imp. Principis esse archiater, non gaudet dignitate, alii disputatione, cum & coquus Principis censeatur habere dignitatem. Si autem Judæi ad dignitatem admitti non possint, inde non sequitur Doctoratum Medicinæ non esse dignitatem, sed illum ad hunc non esse admittendum.

Quartum argumentum penitus absurdum est quod desumit ex Gloss. in Cap. non sane 14. Qu. 5. verbo Medicus. Nempe quod Medici non sint majoris valoris, quam obstetrices. Respondeat hic rursus pro me Paul. Zacchias Qu. med. leg. Quæst. 8. §. 32. Quid ergo hinc colligitis vos Doctores mei honorandi? Credo responsuros, quod cum legista sit magni valoris debeat præcedere medicum, sed hoc non procedit, nisi antea probetis legistam esse majoris valoris, quam sit Medicus. Non potest legista, si Medicus non est majoris valoris, quam obstetrix, non esse etiam minoris valoris, & sic non præcedit medicum. Hoc tamen dictum ex vestra glossa probatis, quod quam æquum sit, vos qui justitiae moderatores vosmet ipsos facitis, videte. Hactenus Zacchias. Si autem sic argumentarer. magis communitati utilis & necessaria est obstetrix, quam Advocatus, & nobilis habet objectum, nempe hominem, ut feliciter nascatur & obtento baptismo æternam salutem consequatur, ergo majoris est valoris, quam Jurista Advocatus quid ad hoc responderet? Inepta & absurdâ est ista glossa, quæ nihil pro-

probat, & concludit. Ita nec infamat Advocatos, quod in digestis sociati sint infamibus. Libro enim tertio titulo primo agitur de Advocatis, titulo secundo, de his qui notantur infamia, titulo tertio de Procuratoribus, quasi vero hos inter & illos sit quædam affinitas, Doctrina, Connexio vel viræ similitudo. Ineptus hic ordo est inquit *Hagemannus* l. c. & associatio prorsus rejicienda: Imprudentiae tribuniani præcipui compilatoris imputanda. Quomodo autem Reip. nocendo Advocati possint esse infames. Vid. c. antecedens.

Opponit porrò juristas omni tempore esse felices, ut dicit textus in procœm. ff. pr. de §. duobus. Nec permettere leges aliquem Jctum in anxietate & paupertate vivere. Cujus contrarium jam supra allegavi. Addit porrò communiter magis videri legistas ditissimos quam Medicos, quod sano sensu verum admittimus, plures enim dantur legistæ & Advocati in orbe quam Medici. Alias id falsum esse docet experientia, unde notum illud: *Dat Galenus opes.* Celebris Massiliensium Medicus *Crinas* adeo erat opulentus, ut ad reparationem mæniorum prædictæ urbis 100000. Sestertia testamento legaverit. Philippus II. Rex Hispaniarum Archiatro suo *Francisco Valestro* præter insigne Salarium annum ob febrim Septendio curatam sex mille Ducatos donavit teste à Castro l. 3. Histor. 14. longe majorem pecuniæ summam nempe singulis mensibus decem milie coronatos à Ludovico II. Rege Galliarum obtinuit *Jacobus Coctierius* & præterea donum

E 2 quin-

quinquaginta quator millium coronatorum teste Philippo Cominæo l. 6. c. 12. sed quid antiqua repeto, celeberrimus D. Garelli Divi LEOPOLDI Archiater ultra millionem Imperialium & Hermannus Boerhavius Professor Leydensis ultra aliquot sic dictas auri tonnas post fata reliquerunt.

Non videtur *Chassanæus* Medicis admodum favisse, unde quæ potuit argumenta contra prærogativam Medicorum excogitavit, imo ipsum Archiatri nomen pervertere, & in minoris dignitatis sensum detorquere studuit. Unde l. c. vi. considerat. XIII. Archiatrum scribit fuisse apud anticos Cæsares ostiarium palatii Principis, & quasi Principem atrii, ut vox Archiater sit ex Græco & Latino composta. Sed isto significato non extat memoria in tota antiquitate Romana. Atque ut atrii palatini fuisse aliquem præfatum sive Principem ostiarianorum atque atriensium demus, tamen is Archiatrus istam ob causam dici nequit, nec debuit, sed Architriarius. Non ea est auctoritas *Chassanæi*, ut ex nuda ipsius assertione novum nomen novæ dignitatis in antiquitates Romanas admittamus. Vapulat autem ille hoc nomine ab *Andrea Tiraquelle* Tr. de nobilitate c. XXXI. num. XIX. verius per Archiatrum intelligunt Principis sive Imperatoris medicum *Jac. Cujacius* ad Libr. VI. Cod. de Profess. & med. *Isac. Causabonus* Comment. ad Strab. L. XV. uti ex Medicis *Jac. Zwingerus* in Proscen. Physiol. med. c. XIX. *Hieron. Mercurialis* variar. lection. L. IV. c. 1.

Quæ

Quæ igitur stupiditas aut ignorantia major esse poterat, quam Archiatri nomen seu verbum ab Atrii Latino significato deducere, & ut *Ferdinandus Abduenſis* in orat. pro jure ci- vili adversus Philosophos & Medicos insulſe Principem mæroris interpretari, ut cl. *Casp. de Rayes* in Campo Elyſeo Qu. jucund. c. 2. allegat. cuius compendium infra trademus.

C A P U T VII.

Oſtenditur Causidicorum ſeu Advocatorum multi- tudinem Reip. ſumme noxiam, Medicorum autem reſpective paucitatem utiliſſimam & neceſſariam eſſe.

MUltus ubique jurisprudentum eſt numerus. Quæ ratio? Causam primam al- legat *Claramontius* l. 3. c. 11. Jurisprudentia ho- nores publicos studiosis proponit, ſpemque obtinendorum exhibet. Dein ejus interpretes lucri cupiditatem excitant, nam plurimos vi- deas primæque fortis, qui jaſtitent lucrum magnum à ſe factum in materia fidei commiſſorum, aliave, quorum authoritate studiosi incitantur.

Secundo quia Jurisconsulto ſufficit scientiæ cujusdam mediocritas, ſcilicet ut aptus ſit ad contendendum vel voce vel scriptis, aut utro- que simul, modo paetiles illos nexus & con- tractiles nodos, ut ait *Budæus*, teneant, quēis hominum patrimonia obſtringuntur. Juris- prudentia in universalibus ſolum hærens prin- cipiis

cipiis teste *D. Thoma.* 1. 2. Qu. 96. Artic. 2. habituum non multam gerit curam. Ex qua scientia simplici facile acquirenda tumor multis nascitur se suspicentium, & reliquas facultates, licet præstantiones, qualis est politica & Medicina, despiciuntur.

Tertiam causam allegat *Tullius Cicero* & dicit causam esse, quare passim se tot Iuri applicent, quod ejus cognitio non censeatur magna ac difficilis, de qua scribit olim *Scœvolam Jurisconsultum* satis celebrem dicere esse solitum, nullius sibi artis faciliorem cognitionem videri. Scilicet expertis ac scientibus omnia videntur levia. Quæ autem justa Iuris Civilis scientia requirat, latius per partes deducit l. de orator.

Aliam causam multititudinis Advocatorum adhuc l. c. adducit, quod qui aliam professionem initio maluerint, postea eam assequi non potuerint, & sic ad jus sint delapsi, ut ajunte in græcis artificibus eos aulædos esse, qui Cytharædi fieri non potuerint, sic nonnullos videmus, qui oratores (hodie Canonici, Pastores, Ecclesiastici) evadere non potuerunt, ad juris studium devenire. Ita *Cicero*.

Quintam causam allegat *Pascalius Suite de Characteres.* Titr. Procés. Peu voudroient avoir vecu sans procés. Cela rend utile le grand nombre des Advocats. Casser de testaments, demander, qu'une donation soit nulle, ou une exheredation declarée injuste, voila sur quoi l'on plaide de nos jours. Sur quoi de tout tems la Chicane s'exercera. C'est pourtant necef-

necessaire , qu'on teste , qu'on fasse du bien aux uns , qu'on prive les autres , j'aimerois autant dire , qu'il est necessaire d'avoir des procés. Plures ibidem lītūm causas enarrat.

Verum *Thomas Morus* in sua *Utopia* (quæ est ens rationis morale , sive politicum simulacrum civitatis , quæ nuspian reperitur , consideratione tamen usus non contemnendos in vita civili obtinet) ingeniosissima , quæ optimæ Reip. formam exhibet , scribit Causidicos , qui causas tractant callide ac leges vafre disputant , prorsus omnes excludi , censem enim ex usu esse , ut suam quisque causam agat , eademque referat judici , quæ narraturus patrono fuerat , sic & minus ambagum fore , & facilius elici veritatem , dum eo dicente , quem nullus patronus fucum docuit , judex solerter expendit singula , & contra versutorum calumnias simplicioribus ingeniis opitulatur . Sed addit *Morus* , haec quidem in utopia , apud alias autem gentes in tanto perplexissimarum legum acervo difficile observari . Utpote quarum sententiam nisi magno ingenio & longa disputatione nemo possit eruere , ad quam investigandam crassum vulgi judicium nequeat pertingere . Quo igitur rerum statu exulare non possint legum interpretes , quamvis optandum esset , ita eas fuisse conditas , ut simplicior ac magis obvius earum sensus omnibus apertus esset .

Verum in Germania nostra accidere numerum processuum foret Causidicis tollere panem quotidianum , namque :

*Hi multo plenam nisi gestent ære Crumenam,
 Discent ferre famem, nisi lis det pennaque panem.
 Cum Doctoris charaæteri non sit affixum sala-
 rium, unde servabitur Doætoralis staæus, nisi
 ex praxi acquirendi? Patrimonium exile fuit,
 aut absumpse promoto & studia, Dos uxo-
 ria non magna est, matrimonium adfert one-
 ra, quid illud resarciet, & hæc levabit, nisi
 pinguor clientum bursa? Imperitat saepe Ju-
 reconsultis Advocatis Neo - Nupta, impertit
 Decreta, sed sine sportulis & nummis Diætæ.
 Matrimonium quod deberet homini esse radix
 omnis boni pluribus fit pondus ingens. Fa-
 mina & proles violenta sunt tentatio ad frau-
 dem, ad mendacia, ad lucra illicita. Inter in-
 digentiam & imposturam mirus nexus est &
 consanguinitas. Necesse est itaque ubique au-
 cupari clientes, etiam sub quoconque prætex-
 tu, sive causam æquam sive iniquam habeant.
 Quid autem ejusmodi indigens Advocatus
 aliud intendit, nisi litis prolongationem & re-
 plicarum, duplicarum, triplicarumque infi-
 nitum progressum, ut controversia, quæ fa-
 cile intra unius alteriusve anni spacium termi-
 nari possit, ad decem pluresque annos, &
 quod me ipsum experientia docuit, ultra vi-
 ginti annos prorogetur. Ea enim hominum
 passim est malitia, ea pervicacia, ut si contra
 proximum habeant processum, omnia etiam,
 vel extremum obulum velint in Advocatos ex-
 pendere, quam juri cedere, similes lusoribus,
 qui tam diu sperant lucrari & vincere, donec
 omnia perdiderint. Hi in mare curarum se
 præci-*

præcipitant, & ad scopulum pauperiei naufragium facientes feram inveniunt patientiam. Ita, ut inquit *Barclaius*, miserrimos Clientes patroni articulatim & lente discerpunt, quibus profecisset semel perire, si enim cum sumptibus fiat molestiarum comparatio, gravius putas, sic etiam vincere, quam confestim damnari.

Multitudo Advocatorum plures parit Rabulas forenses, quorum Causidicina an Reip. nociva sit, facile elucet ex illorum descriptione, quam *Cornelius Agrippa* libro de vanitate scientiarum hanc exhibit. Nempe Rabularum ars est fraudulentissima, suasorio cooperimento subdole adornata. Hic enim optimus censetur causarum patronus, qui novit judicem persuasione demulcere, novit juribus vel inventis, glossis ac commentis leges quascunque pro libidine fingere & refingere, vel inquis quibusque diverticulis illas subterfugere, aut litem prorogare, sic citare leges ut pervertatur æquitas, sic glossatorum adstruere authoritatem, ut subvertatur sensus legis, mensque legislatoris. Is habetur Advocatorum optimus, qui plures allicit ad litigandum, & promiscue spe vincendæ litis in judicium impellit, sic fit jurgiorum author, qui vera & justa isto modo dubia & inqua facere potest, justitiamque ipsam profligare, pervertere, prostertere, ut judicis mentem saepè perturbet, & à vero & justo seducat, nisi sit vir summe peritus. Causidicorum lingua tam damnifica est, ut nisi vinciatur muneribus, fieri non possit,

E 5

ut

ut non noceat. Tanta enim glossarum, commentariorum, expositionum est colluvies, ut quis aliter, & aliter justiniani edita interpretari valeat. Tot sunt opinionum procellae, tot vaserrimae subterfugiorum, cautelarum, consiliorum sylvæ, quibus Advocatorum instruuntur, nutriuntur, foventur nequitiae, ut bene inventas leges per ambiguas expositiones ad sua figmenta adaptare valeant. Hæc tota est, illa jurisprudentia, hoc rete iniquitatis hæc ingenia, hæc artes quibus Causidicorum turba jus, fas, leges, æquum & honestum, omnia venalia habet, & abs se mercari compellit. Hæc prædictus scriptor, & si bonæ indolis Advocatos, quales innumeri dantur, unà perstringat, malignus Cavillator.

Interim verum est, quod opinione Jurisconsultorum differentes litium causæ sint. Juxta Aristotelem 5. Metaphys. *diversitas opinionum est causa litis.* Litigantes per copiam authorum causæ suæ faventium decipiuntur, cum æqualis sit pars contraria statuentium, sicque plurimum consistat justitia in favore, aut saltem judicio judicis, pro ut ille causam apprehendit. Perturbant homines non res ipsæ, sed rerum opinione. Unde nationes diversæ copiam legum in corpore juris acceptare noluerunt, ne litigiis anse daretur. Dux de Urbino, ut memorat Boccalinus l. c. Cent. 3. Relat. 1, istam voluminum juridicorum, quæ suis glossis leges tantum intricant & obscurant, multitudinem in suis territoriis prohibuit, ac abrogavit, ut erroneæ ac falsæ opinione, quibus miseri

miseri in immensos sumptus ac molestias, præcipitantur, removerentur. Dic enim sodes, quæ est veritas, quæ per illa reddi non possit obscura, dubia, & incerta? nulla causa ita dilucida, ut intricari nequeat, nullus contritus ita validus, ut non rescindi possit, ita ut sub sole reperiatur nihil, quod per juristas taxari, reformari & reprobari nequeat, cum tamen veritas non nisi una & simplex sit.

Nulla itaque est Respublica, nulla civitas, in qua tantum abest, ut Advocatorum multitudo sit utilis, ut potius summe sit noxia. Quod vel ipsæ fæminæ agnoscunt, unde refertur de virgine Clivensi, eam aliquando transiisse urbem, in qua erat Academia, & ubi plusabantur campanæ, & universalis erat jubilus, interroganti quid ista significant, responsum fuit, quod facultas Juridica Doctores juris creare vellet, sciscitanti, quot illorum tali dignitate decorandi essent, respondebatur, septem numero tali gradu insigniendos. Ad quod summe admirabunda ajebat: Septem numero? Deus avertat! unicum saltem in nostra civitate habemus Juris Doctorem, qui toti patriæ satis facessit negotii: Septem hi capaces sunt universum mundum turbandi & inquietandi. Paucis dicam nunc, quomodo tales creentur, quod omnium optime exposuit. Petrarcha l. 1. de Remed. utriusque fortunæ c. 12. Felicior inquit ætas nostra, quæ non unum, duosve vel septem, sed in singulis urbibus, ceu pecudum greges numerat sapientum, nec mirum sane tam multos esse, qui tam

tam facile fiunt. Venit juvenis stultus (indoctus) ad templum Doctoris insignia recepturus. Praeceptores sui illum celebrant seu amore, seu errore. Tumet ille, vulgus stupet, plaudunt amici & affines. Ipse in Cathedram scandit, cuncta jam ex alto despiciens & nescio quid confusum murmurans. Tunc majores certatim ceu divina locutum laudibus ad cœlum tollunt. Tinniunt interim campanæ, strepunt tubæ, volant annuli, figuntur oscula, rotundus & niger pannus (Magistratis Sonetus) imprimitur. His peractis descendit sapiens, qui stultus ascenderat, mira metamorphosi nec Nasoni cognitâ. Sic fiunt hodie sapientes, verus sapiens fit aliter. Hæc petrarcha, & ex eo *Neubusius* qui in *Sphinge Philosophica* c. 25. sibi quasi ejus authori hunc textum attribuit. Bonum factum, inquit *Meibomius*, si Professores Academicci hac in re officio suo non decessent, nec quemvis aut temere ad honores & dignitates in re litteraria summas admitterent, licentiamque saepè indignis & indoctis, saepè etiam adolescentiæ annos vix egressis, & queis vix barba resecta est, non impertirentur.

Verum non tantum Reip. in civitatibus, sed maxime quoque genti rusticæ præsertim simpliciori noxia est Advocatorum multitudo, quod *Menantes* in suis otiosis Academicis hac fabula indicat. Rusticus incidebat in lite, non aberat procul juvenis Advocatus, qui manificum suum (sein Handwerk) illi præsentabat, quamvis prudentiores ad amicam compositionem

THEI

nem hortarentur. Juvenis tamen Rabula tam expeditus erat ad persuadendum, ut Rusticus processum continuaret. Sententia Rustico plane contraria ferebatur, sic mendacissimæ artis erat finis & totius prædii siebat jaētura. Utinam hæc fabella non sæpius verificaretur! exclamat hic Pellerus in Politico Scelerato c. 33.

p. 370. *heu quam miserum est, & Deo exosum ex agro homines traduci in forum, ab aratro ad sub-sellia, ab usu rerum domesticarum ad insolitam litem atque judicium!* Amabo quid Reip. felicitati & beatitudini hominum civili nocentius quam illa quarumcunque causarum etiam manifeste iniquarum defensio, illa litium proteatio, qua laborant aliqua dicasteria, quia Advocatis permittitur illas procrastinare, & judicibus toties totiesque decretis saltem interlocutoriis eas suspendere, quibus earum dilatações in multos sæpe annos procurantur.

Non opus est, ut pro hujus confirmatione antiquitatis exempla aut Historias conquiram, aut illud repetam, quod *Ludovicus Vives de causis corrupt. art. lib. 7.* narrat de Hungaris per introductionem Advocatorum sub Rege Matthia Corvino misere circumductis & exhaustis, cum nostræ memoriae verissimam Historiam adduxisse sufficiat, quam ab illustrissimo & Primario Aulæ Trevericæ Ministro reiteratis vicibus narrari audivi; Scilicet Serenissimus CAROLUS Lotharingius Gloriosæ Memoriae Elector Trevirensis sæpius in publica mensa aut etiam privatim inter Aulæ suæ proceres, cum de Causidicis & Advocatis ser-

mo

mo incidit, referre solebat; quod in Lotharingia sub ditione Serenissimi sui Patris quoddam celebre oppidum vel pagus (nominis non amplius recordor) fuerit ante paucos annos prædives, & quidem ita ut urgente necessitate aliquot millibus florenorum in subsidium muruum prompte citra moram succurrere potuerit, illud verò intra pauca lustra ita depauperatum & exhaustum fuisse, ut quod antea pacificos & opulentos cræsos alebat, nunc non nisi Codros & Iros tegat ex plurimâ parte Stipem colligentia mendicabula, hanc ingratam metamorphosin audiens & experiens Celsitudo sua Regia loci illius infortunati præpositum & Seniores populi ad se vocari jubet, quos alloquebatur: Lærus Recordor paucis ante annis oppidum vestrum ita floruisse, ut præ omnibus aliis ducatus mei ob insignem opulentiam, & rerum omnium affluentiam præeminuerit, imo mihi metipsi & antecessoribus meis (quod gratos memini) in occurrentibus necessitatibus publicis aliquot millium illustri subsidio ad tempus succurrere potuerit, nunc verò illud ad incitas taliter redactum esse dolenter experior, & per Lamentabile relationum querelas omnes fere incolas foro cedere ac ostiatim Stipem querere audio, hujus rationem & causam ut sine mora & fuso mihi exponatis, est quod serio jubeo, oportet enim ut Harriolor vos præpositos malè Regere, subditorum fidelium sanguinem exsugere & supprimere, cuius vindictam cœlum capiet, nec ego inultum relinquam, ut qui omnes

sub-

subditos meos protegi , non à rapacibus lupis
devorari volo; aut aliam tristissimæ hujus ca-
lamitatis & communis pauperiei causam ali-
am eamque veram atque fundatam suggeste,
ut interposita Regia nostra authoritate illam
corrigerem, reliquosque subditos refocillare, &
ad priorem felicem statum evehere valeam, ad
quæ impetrata prius venia cum submisissimo
respectu, quidam ætate proiectior judicio ac
experienciâ pollens reponebat; Si mihi coram
Regia vestra Celsitudine loqui liceat, totum
negotium candide explicabo , rationemque
dabo, qualiter illud contigerit infortunium
toti communitati adeo noxiū & grave, ut
vix ulla arte nisi summa & aspera authoritate
Regia sanabile & corrigibile ; Res autem ita
se habet; Faustis illis temporibus, quibus nos
ita floruisse Regia vestra Celsitudo Clementissimè recordatur, soli cives concordes viximus
sine Caufidicis, sine Advocatis, sine Procura-
toribus & Notariis, hinc nulla penes nos erant
sumptuosa litigia, nullæ dissidiæ, nulli pro-
cessus, omnibus ignota erant suprema appelle-
lationis aut revisionis dicasteria , nemo scie-
bat quid esset in jus vocare, protestari, con-
testari litem , appellare eveniente enim casu,
ut inter cives aut vicinos contentio quædam
oriretur, statim aliqui ex Senioribus (qui au-
thoritate apud omnes pollebant) vocabantur,
illisque paucis verbis contentionis causa expo-
nebatur, qui omnia pro & contra examinan-
tes secundum naturale judicium & loci con-
suetudinem decidebant, partesque amicabiliter

ita

ita componebant, ut exposit ne ullum verbum de appellatione aut ulteriore litis contestatione auditum fuerit, taliter citra sumptus & dispendium omnia etiam ardua negotia feliciter terminabantur; Felicitatis autem nostræ fructus, divitias scilicet nostras subolfacientes nummis vulturum instar inhiantes Causidi, Advocati, Notarii, Procuratores &c. Oppidum nostrum tumatim intrârunt ingenti numero, qui omnes nostro sanguine & sudore vivunt, sapiuntque nostra stultitia, jura antiquitus stabilita confundunt, lites suscitant, transactiones rescindunt, dilationes innectunt, supprimunt veritatem fovent mendacium, quæstum sequuntur, æquitatem vendunt, inhiant actionibus, versutias concinnant, dissidios suscitant, talique infami methodo, qui nudi ad nos venerunt, se nostris opibus saginarunt, ita omnes nostros nummos in finibus suis congregarint, nostrique quasi sint depositarii, negotium enim exigui momenti, quod antea ad potum canthari Cerevisiæ finiebatur, ita, protrahunt, confundunt, exaggerantque ita ut per omnes instantias protrahatur, imo novæ lites eæque hæreditariae usque in serum generationem excitentur ac protrahantur, cumque illa Harpyæ multa verba inania, falsa, seductoriaque ac non nisi maculatas chartas magno ære vendant, hinc nostræ divitiæ ad ipsorum bursas transmigrarunt, præter hæc labores nostri & commercia negliguntur, nam qui suæ æconomiae aut negotiis invigilare deberet, jam liti vacat, currit post Advocatos, dicasteria adit, suam-

suamque saepius frivolam temerariam per dolum lucripeti Advocati coloratur contentionem & tricas urger, finemque anhelat, quem frustra exspectat, quam diu ipsius vacca lacte gravis est, & sic perpetuae inter cives rixae, impossibile enim est concordes unquam aut amantes invicem cives fore, ubi multæ sunt lites judiciales, quæ per istiusmodi homines tam subdole excitantur & omni studio foventur, si è civibus nostris eradicetur pessima hæc Zitania, suffoceturque sumptuosus litigandi pruritus, si exulent isti civium crudeles sanguisugæ, tricorum rixatumque fabricatores foresses Rabulæ, omniaque ad priorem judicandi formam reducantur, pristinum felix quoque redibit sæculum, in quo ditescent subditi; ô verè genuinum, cordatum ac eruditum discursum, dignum, ut cedrinis tabulis insculpatur, ac pro cautela annuatim ex suggestu omni populo prælegatur, ut aliorum damno discant sapere, ô quam fallax & seductrix multorum Advocatorum est eloquentia; quod egregie frequentibus monet S. Bernardus *lib. I.* de *confid. ad Eugen. C. 10.* miror quemadmodum Religiosæ aures tuæ audire sustinent hujusmodi disputationes Advocatorum, & pugnas verborum, quæ magis ad subversionem, quam ad inventionem proficiunt veritatis, corrige pravum morem, & præscide linguas vaniloquas, & labia dolosa clade. Hi sunt qui docuerunt linguas suas loqui mendacium, derti adversus justitiam, eruditæ pro falsitate, sapien-

F

sapien-

sapientes sunt, ut faciant malum, eloquentes
ut impugnent verum.

Prò quam infelicem reddunt hominem lites!
divitem reddunt pauperem, lætum tristem,
pacificum inquietum, inquietum desperabun-
dum. Pectus reddunt plenum gemitibus,
Caput cogitationibus, oculos lacrymis, pedes
fatigant cursibus, linguam querelis, manus
cogunt ad expendendos nummos sæpius su-
stentationi vitæ necessarios, unde vere dixit
Guevara in Schol. politic. c. 73. nihil suo ini-
mico quis potest optare pejus processu, inde
plures patietur adversitates, difficultates, cu-
ras, angustias, quam fuerint sub Pharone
Ægyptiorum plagæ.

Econtrario quam felix est respublica, est pa-
tria, quæ unum alterumve habet exercitatum
medicum in arte probe versatum, tam in mor-
bis Sporadicis quam Epidemicis publicum re-
fugium! an non utilitas, quam in morbis po-
pulariter grassantibus præstat vel unicus Lo-
mater, major potiorque est, quam commo-
dum & bonum, quod omnes Advocati huic
vel illi privato procurant, cum omne bonum
publicum privato præferatur? grassante Con-
tagio pestilentiali silent judicia, feriantur Cau-
fidici, & altum in curiis clausis est silentium.
Interim currunt medici nunquam otiosi, omnes
ad illos ceu publica asyla configunt. Noctes
diesque curis, sollicitudinibus, visitationibus
occupantur. Et quidem cum maximo vitæ
periculo, quod etiam pluribus eo tempore est
fatale.

fatale. Advocati autem hærent domi, vel extra urbem ad villas longè recedunt, cujuslibet vel civis vel coloni fugiunt accessum, nil magis lugentes quam lucrum cessans. O quam felices tunc se reputant, si à Medico experto possint qualicunque etiam pretio nancisci prophylacticon, quia sciunt nullas hic exceptiones, oppositiones, protestationes, appellations, aut alia juris beneficia valere. Nunquid ergo Medici juristis imprimis Advocatis ob utilitatem, necessitatem, virtutes atque bene merita, quæ nunc exponemus, sunt præferendi?

C A P U T VIII.

Virtutes & merita Medicorum præ vitiis Causidicorum merentur dignitatis prærogativam.

Certum est, majorem passim apud Medicos, quam juristas in primis Causidicos esse conscientiae rationem, & virtutis exercitium, unde quoque tot inter Medicos sancti reperiuntur, cum praeter beatum Iwonem Jurisconsulti sanctis adscriptum habeant neminem Avaritia seu habendi cupiditas communis est Advocatorum vitium, quod mox exemplis ostendam. Medicorum autem parum interest, num indigentem viduam, vicinam, cognatum, pauperes gratis visitent, carentque, & integris Religiosis Familii mendicantibus sine annuo Salario obsequiosi noctes

F 2

dies-

diesque per plures annos serviant. Audivi ergo aliquando à viro vere asceta, non esse hominum genus infelicius, quam

*Vendere cui volupe est clamorem, operaque forensi
Insontes una defendere vocè reosque,
Causidici partes agere & rixantis, acerbis
Affigi soluis, alienaque iurgia propter
Privatis animum & tempus subducere rebus.*

ō quam vere cecinit quidam scitissimo poëmate eruditissimus Jesu socius:

*Lis oritur, sua quam judex incommoda dicit,
Et pecudes habet, ante tuo quam pascua juri
Afferat, ut magno tibi vel victoria constet,
Et debellato redeas non latus ab hoste.*

Aristii patriæ nobilis causa brevi quidem trahite ad finem posset decurrere, sed Advocatus Verres inquit: non expedit. Quis enim mensæ submittet lepusculos, quibus comeditis Cinnula uxor mea septem est formosa diebus, quis alaudas, perdices & turdos dabit, quibus œsophagus meus nequit carere. Absit, absit, mensam talibus privare cupediis. Harderus enim statuit in praxi rerum civil. c. 250. n. 11. (ō juristam conscientiosum!) accipi posse minutula gratitudinis symbola, ob quæ nil magis aut minus in judicio procedatur, veluti Lepores, Cuniculos, perdices, phasianos, Capones, & similia leviuscula, quæ sunt mensalia sui potuique accommoda, sic ut ea non sint talia, quæ marsupiis serviant, aut avaritiae vel corruptelæ suspicionem præbeant. Ita quidem ille:

ille: Si autem per talia munuscula causa pro-
teletur, & justitia prorogetur, ubi conscientia?

Lis est inter judæum & mercatorem Chri-
stianum, verum est, inquit Advocatus, re-
cutiti sunt nequam, & causa, quam movet
Christiano iniqua est, interim tamen illi non
est deneganda opera, non abnuendum patro-
cinium: annulum adamante decorum uxori,
& filiolæ meæ duos in aures annulos obtulit,
quis ista repudiet? Judex viderit. Non enim
de corio humano, sed pecuino & lana tantum
Caprina (coriis nempe & variis pannis mono-
policè vendendis) agitur. Quis nisi stolidus
talia munera respuat? Si ego patronus esse re-
nuam, non detrectabunt aliæ huic cadaveri
inhiantes aquilæ, ergo patiatur Christianus, tri-
umphet judæus. Exclamo cum vate *Hilario*:

*O triste telum! quid nequit o necessitas?
Dum multa proles, dura Xantippe est domi,
Æris alieni plurimum, proprii nihil,
Dum masculina & feminina Synthesis,
Totaque supplex fænectori subest.*

Charissima mea, meum corculum ait, Ad-
vocatus *Sempronius*. Adfuit mihi villica vi-
dua, adfuere & Rustici, utrique petiere in li-
te, quam sibi invicem intentant, opem meam,
cui parti maxime ex re nostra arbitraris, ut
illam accordem? Non potes animula mea, re-
plicat arridens *Fulvia* utrique tuam navare
operam? Hoc enim maxime reor profuturum?
Si minus: Rusticis, tametsi inique viduae li-
tem moventibus, servias. Multa enim vacca-

F 3 rum

rum ubera plus lactis exhibent quam unius.
O quam verum illud, fæminarum est vehementer velle! dictum factum servitur his, vidua supprimitur. O cœlum! ô terra!

Campanius insolenter ferit fores Castilii celebris in urbe Advocati. Tinnulum quod januæ adeſt, crebriori ſono reſonat, advolat Famulus. Quis importunus inquit, adeſt iſte pulſator. Poeana ſocie, Dominus meus ad menſam prandens conſidet:

*O ſtupide Dave,
Nescis vetuſto jure ſemper gentium,
Quibuscumque geſtat dona, juris hoc habet,
Portam ut potenter feriat atque reſeriat.*

Ut dicit *Gazæus* in piis Hilaris.

Habeo replicat *Campanio*, obefulum ovem, quam tuo donem Hero. Dic me adeſſe. Vul- tu jam multo lætior redux famulus triclinium intrat, & nunciat, qui velit loqui, adeſſe. Cui Advocatus. Joannes apportatne aliquid, imo inquit famulus, aliquid apportat, & quidem bidentem. Intret mox, intret ait Domi- nus, non oportet eos diu limina premere, qui domum volunt donis cohoſtare. Intret cu- linam, amphora cerevisiæ illi ex cella depro- matur, dic ut ſedeat, aëtutum adero. Tam promptum ovis habet accessum, tam festinum alloquium. Non nemo hoc Carmine expref- fit compendiosè:

Quis pulſat? quisnam tu? aperi! quid quæ- ris? ut intrem.

Fers aliquid? nihil? eſto foras, fero quid ſatis: intra.

Gazæus

Gazeus inter Advocatum & Clientem Rusticellum forte in platea obviantem similem proponit Dialogum.

Advocatus.

Bone vir, inquit, cui revinctum destinat. Hunc funibus vitulum, humeris quem fers tuis? Quorsum? inquit alter, ad macellum defero.

Advocatus.

Hunc in macellum? cujus ergo? ediffere.

Rusticus.

Inopia cogit ferre, cogit vendere.

Advocatus.

Sed quisnam habebit, quam capies, pecuniam.

Rusticus.

Hanc destinavi, cui soleo. *Advoc.* Sed cui soles?

Rusticus.

Tibi Advocate, cui tot jam nummos dedi.

Advocatus.

Abiro ad ædes, cuius bone vir meas, an in ære solvas est perinde, an in cute.

Sic absque nummis recipit hic vitulum, & tamen manet Rusticus debitor. O dolosam vulpem! Sic miser Rusticellus ut Barlaeus, canit:

Facundas redimit voces, pauperque patronum.

Aspicit, & vacuis loculis sua rura revisit.

Est genus hominum Polypragmonon. Tonsores sunt, aratores, venatores, & quid non. Certè horum omnium nomina sibi su-

munt Rabulae forenses. Sibi arant, sibi occant,
sibi ferunt, sibi iidem & metunt. Arant fundum,
sed non arenosum, occant glebam, sed
frugiferam, ferunt lites, metunt nummos:

*Dum sit odor lucri, tondunt, venantur, arantque,
Demittunt hamos, & stringunt cominus enses.*

Penna illis est venabulum, est penna forsex,
penna aratrum. Quid Zachaeus Scheolachus Fa-
mosus Pragmaticus? Responderet Jacobus Balde:

*Vultur odoratu, linx visu, simia gustu
Et sus auditu, cum bractea tinniit auri,
Sed cum porrigitur subtilis aranea taetu.*

Quid Schindlerus, alter Bartholus, non satiatur:

*Extendit dubias lites in secula & ultra,
Ex rapto vivit, sine lege potissima lex est.*

Auro & argento adhæret, ut scopolis poly-
pus, ut corpori:

Non missura cutem nisi plena cruoris hirudo.

An haec inanis satyra? ô utinam! Qualis est
Birrus? Nulla illi gratiora verba, quam da-
mus, dabimusque, sed quid? vitulum promit-
to. Adjicias agnum, adjicias porcum. Nun-
quid axungia sufficeret, ut celeri cursu volva-
tur causæ rota? nondum satis est. Annus ef-
fluxit medius. Nil egit. Facta est jaectura tem-
poris & sumptuum. Nova adferas. Imploran-
dum est Dominæ uxoris nobilissimum offici-
um, ut mariti monitricem agat:

*En nitens pro conjugi peplum,
Auro argentoque & floribus intertextum,
Mygdonia quod splendet acu.*

Quod

Quod si & Dominam Doctorissam prehendat
oblivio, scio consilium, donandum quid est
filiæ minori, (major enim apud nobiles fortu-
nam sequitur ancipitem) hæc monebit matrem,
& hæc maritum, ut ex corpore juris quasdam
rapiat exuvias vestiendæ tuæ ac palliandæ cau-
sæ, utut iniquæ.

An impudens nonnullorum Advocatorum
exactio, etiam pro consilio ore tenus facta,
modesta medicorum acceptatione illius, quod
sponte datur, dignior sit præferri, prudentes
judicent. Mille in diuturna tot annorum pra-
xi dedi Consilia gratis, & sine reali gratitudine,
cum Advocati tamen passim ad taxas referant
Consilia, præsertim in partibus Hollandicis.
Narrat *Gnomotheca Nova* n. 897. Ab Advo-
cato Florentino satis incepto postulatum fuisse
Consilium, quod cum taliter qualiter esset ex-
peditum, pro navata opera poposcisse viginti
quinque coronatos. Cum ergo is, pro quo
confectum erat, diceret, quomodo auderet
tantum petere, cum tamen celebris aliis Ad-
vocatus, quem nomine indicabat, sex corona-
tis libenter contentus fuisse, responsum acce-
pit, hoc se equidem bene credere, quia Advo-
cato isti ejusmodi consilii confectio indies, sibi
vero toto anno vix ter vel quater contingere.
Vah bella ratio! certum igitur, quo juris,
imperitor Advocatus, eo in opera navanda
plerumque carior.

Humilitas Medicorum propria est virtus,
nam non solum splendidas Patriorum domos
& nobilium palatia, sed & pauperum tuguria

F s &

& ergastula subire non detrectant, omnium querelas & de morbis relationes patienter audiunt, ægros solantur. Animos addunt, & non raro ipsa suppeditant remedia.

Sed quis Neo Doctorum Advocatorum tumor, quæ ambitio? exemplum in me ipso si-
stam. Jam per duas horas sol horizonti illuxerat: Accedo fores *Clitiphontis*, ut viro loquendi occasionem nanciserer. Pulso januam. Famulus dicit, Dominum Doctorem, adhuc cubiculo suo latere, non nisi post horam futurum alloquii tempus. Redeo ea nondum elapsa, accipio responsum jam exiisse domo. Quid est mi *Clitiphon*. quod te in musei recessu detinet, ne me audias, tuum utinam non clientem, tua utinam opera non indigentem? Fortassis ex iussu Principis, cuius nuper factus es Consiliarius nominalis & Supernumerarius, supplices revides libellos, aut rationes confers? an semper tibi labor & negotium, & ex eo excusatio, ne verbum audias, & respondeas? ò hominem Advocatum negotiis gravem, sed Machiavelli vellere vestitum. Non accedi vult, non videri, nisi pretio linguam, nempe habet venalem. Et ipsi famuli præmium exspectant, ut tempus alloquii opportunitum designent, sed totum mysterium in eo consistebat, ut eum post meridiem accederem, & vini generosioris poculis exciperem. O fastum & consuetudinem pravam, etiam apud eos, apud quos sola fortuna ingenii supplet locum, & vices subit meritorum.

Ha-

Habent plures Advocati etiam juniores in more, ut se scribant Juris utriusque Doctores, & nomini suo addant J. V. D. Fecerat id quidam ceu fungus, natus Doctor. Mirabilis & magnæ, eruditionis in filegia studiosus id forte male habebat, unde somnians sequentes versus composuit, & è lecto surgens in chartam conjecit. Quos Chr. Franciscus Paullini in Observat. Med. Physicis selectis & curiosis cum aliis ejusdem Poetæ tam ingeniose somniantis Carminibus communicat.

In Juristam lucrionem pauperculo Clienti Marsupium ingeniosè exenterantem :

*Addiderat vetus istud JV D. pro more lucrosus,
Quid sibi cauda, roget Rusticus, ista velit.*

*Tandem cum genitu, nunc nunc ex ungue leonem
Noscito : Iudæus sic, ait, iste fuit.*

*O Jurista tuam modo clarius exprime mentem,
Cur non scribis Guth? cum tamen istud ames.
Sed me ter miserum, JV D. JV D. bona cuncta
voravit,*

*Atra DIV. nigrum JV D. mibi Morta fuit.
O fugite hinc quotquot sapiris, latet anguis in herba.
JV D. juristarum devorat omne bonum.*

Certe qui clientum suorum crumenas explicant, hanc subscriptionem isto sensu merentur. Sed an talis JV D. nominalis, & secundum datam explicationem realis præ Medicis mereatur dignitatis prærogativam, ipsis Jureconsultis decidendum committo. *Guil. Budæus*, in Epistola ad *Thomam Lupsetum Anglum*, ejusmodi Advocatos, qui accurata solertia à Clientibus

tibus suis, quidpiam semper abducunt, abstrahunt, abradunt, abjurant, exprimunt, extundunt, extorquent, excutiunt, excudunt, subducunt, suffurantur, supplicant, involant auferrunt. Cautionum prudentes, vel potius captiōnum, & inconsultorum civium aucupes, & formularum, id est excipularum opifices, & paetilis juris Callentissimos, & litium concinatores, jurisque contraversi, perversi, inversi consultos appellat.

Prudentia maxime recommendat Medicos. Felix prognosis eorundem non raro salvat honorem. Advocati quidem Jurisprudentes vocantur, reperias tamen inter eos etiam satis stupidos, qui nesciunt, quem lis habitura sit exitum. Si quis Medicorum sanaret neminem, quis ejus opera uteretur? Quidam inexpertus Doctor interrogabatur, quare omnes perderet causas, quarum ageret Advocatum, Respondebat ad se neminem venire, nisi qui haberet eas iniquas, quo praetextu ignorantiam juris obtegere volebat. Nov. Gnomothec. n. 902. Et hoc satis simpliciter. Si quis Medicus dicceret. Se à nullo consuli, & suæ curæ nullum subjici, nisi incurabilem, quanta foret simplicitas? Astuti & arguti sunt Advocati, Medici prudentes. An illorum argutiis & astutiis horum non prævaleat prudens simplicitas?

Astuti Advocati saepius utuntur stratagematis, non adeo laudabilibus. Notum est illud de cœco & clando, qui non poterant fieri unanimis ratione ostrei fonte reperti. Eligebant itaque Advocatum, qui litem dirimeret.

Hic
eudi

Hic ipse ostreum comedit, & cuique cœco
& clando testam dedit. Ejusmodi stratagema-
ta male audiunt, & aliquando ipsos Advocato-
res prostituunt. Quidam Advocatus promis-
tebat Rustico docere jus, & praxin, ut nun-
quam causa caderet, si velit ipsi dare duca-
tum, quem Rusticus promisit. Advocatus,
si vis vincere, inquit *Nega omnia*; Hoc igitur
dicto ducatum à Rustico promissum exigebat,
qui tamen omnia, eumque promissum esse
negabat. Ita dolus proprium Doctorem
delufit.

Medici quoque stratagematibus utuntur, sed
in salutem & commodum ægrotantium ea
convertunt, ut innumeris constat exemplis.
Sic varios ex melancholia delirantes, & varia
sibi imaginantes feliciter fuisse persanatos Me-
dicorum Ephemerides testantur. Qui revera-
se mortuum esse putavit, qui imaginatus est
sibi Caput deesse, qui emissio lotio credidit
universum mundum diluvio peritum, qui
serpentes aut ranas vivas in ventriculo stabula-
ri sibi persuasit, hæc & innumera alia deliræ
mentis phantasmatæ per stratagemata Medica
feliciter curata sunt, ex quibus singularis Me-
dicorum prudentia elucescit.

Hæc laude & honorario digna sunt. Ad-
vocatorum autem stratagemata nonnunquam
male recompensantur. Narrat P. *Mafenius S. J.*
in *Famil. Argut. Vena* §. n. 10. Causarum pa-
tronum, dum via lutoſa obequitat, casu equo
lapsum ab incurrentibus illico, qui eum no-
verant, Rusticis levatum ad hos dixisse,
repent-

rependerem gratiam, si adhuc Advocatus essem. Tum illos: igitur Advocatus non es? simulque præcipitem in idem lutum devolvisse. Sic Rustici Causidicis benefaciunt, ut sibi ab illis benefiat.

Misericordia & commiseratio quoque propria est Medicorum virtus. In humanum namque foret truculentis aliquando ægrotantes spasmis & sævissimis doloribus torqueri, & non commiseratione tangi, & juvandi omnes methodos adhibere. Quid autem Causidici? Audi Barclaium in Argenide p. 378. *Consuetudine videndi miseris, & deinde faciendi, exiunt humanitatis sensum, aut potius miserum non credunt litigare. Ita duri ad questus parum supplicibus moventur, & ab iis tantum culti saltē amant longiora in ipsos exercere imperia.* An non igitur hæc Medicorum virtus præ Advocatorum austera animi duritie præcedentiam meretur?

Quid jam dicam de patientia molestiarum, quæ ab illucescente sole usque ad occidentem Medicis per urbium plateas de domo in dominum cursitantibus ferendæ sunt? quid de summa & incredibili tolerantia apud morosos patientes, apud hypochondriacos, apud mulieres hystericas præcipui status, qui curationem ante tempus, antequam morbi gravitas, corporis status, virium conditio permittrunt, impatienter exigunt. Sedit interim in Museo Advocatus, variis munusculis culinariis in mensa excitatus & interdum vino gratis refectus, & ex Repertoriis & locorum communium

um indicibus, ut in jure bene versatus videatur, varia extrahit ad causæ defensionem allegata authorum, quos nunquam vidit nedum legit, & sic levi brachio, si paululum sit exercitatus, care solvendas duplicas, triplicas veritate conficit, quibus causam magis implicat quam extricat, & judici ad Decreta interlocutoria, quibus lites ad annos protelantur, & quæ saepius à Dominis Referentibus inter symposia Baccho sugerente concipiuntur, occasionem præberet. Etsi autem hæc vitæ commoditas vel incommoditas, ceu mera status Medici & Advocatini accidentia, neutri quid perfectionis tribuant, arguunt tamen majora Medici quam Advocati erga suos clientes esse merita.

Justæ ergo sunt Hippolythi à Lapide in Præfatione ad Lectorem de ratione statūs querelæ: *Multos tanquam rerum usu & experientia instrutos Consiliis publicis admissos esse, qui si recte attenderes, aut Causidicinam aliquando exercuerunt, & meras rabularias artes, fori stratagemata veralemque perfidiam spirabant, aut ad summum, tribunalibus & juri inter litigantes dicendo seu affuerant seu præfuerant &c.*

C A P U T I X.

Politicorum & Jurisconsultorum Decreta, quod Advocati Medicis de jure locum cedere debeant.

Locum hic habet illud Senecæ Philosophi Epist. 102. *Claritas non desiderat multa suffragia,*

fragia, potest & unius boni viri judicio esse contenta. Unius igitur alteriusve Politici & Jurisconsulti decisione Capitis hujus titulum probabo, & *Adami Conzeni* Politicorum facile Antesignani verba l. 4. Politic. c. 25. §. 3. adducam. Vetus est inquit Medicos inter & Jurisperitos de loci dignitate controversia, litem alienam meam non facio, quid vero sentiat *Cl. Christophorus Besoldus* Primarius Academiæ Würtenbergicæ Professor in Dissertatione Juristicō - Politica de jure Academiarum c. 3. ipsius verbis adscribam.

Ego neutri arti aliquid detraictum velim, sed si ex animi sensu sententiam pronunciare, & ex veris fundamentis, non emendatis suffragiis censere decet, cum praestantissimo Medico *Francisco Valeſio* in sua sacra Philosophia c. 74. hac distinctione rem determinarem, ut nempe jurisprudentiae veræ, quæ non in agendis causis, sed administranda Republica versatur, cedere omnino necesse habeat Medicina, non Rabulariæ illi, quæ lites solummodo ordinat vel miscet potius intricatas. *Valeſius* suas rationes ibi addit, cuius sententiam repetit *Ludovicus Camerarius* Hor. subcif. part. 2. c. 55. & *Henricus Meibomius* in Comment. in *Cassiodor.* Formul. Comit. Archiatror. & *Jo. Hucherus* in Epist. ad Ducem Monmorantium præfixa libris de febribus, Aristotelem secutus, qui facultatem civilem, quæ circa gerendam Remp. versatur, à qua quis simul personam Politici induit, jam pridem Medicina præstabiliorē dixerat

dixerat l. i. Ethic. Nicom. c. 13. partem vero alteram litigiosam eidem postponit.

Consentit ipse Rex Gothorum, qui in præfata formula Com. Archiatr. Medicos Advocatis præfert his verbis: *Causarum periti palmares habentur, cum magna negotia defendent singulorum, sed quanto gloriōsus est excellere, quod mortem videtur inferre, & salutem periclitanti reddere, de quo coactus fuerat desperare?*

Prælausdatus Conzenus l. c. animi sui sensa patefacit, quando scribit: *Humana malitia est, quæ salutis suæ Antistitibus estimationem detraxit, & eadē tamen scelerum suorum vindicibus Majestatem circumposuit. Fasces ut secures & licetor Magistratibus adduntur tanquam insignia potestatis, & sunt tamen Carnificum instrumenta: Carceres illi adeunt, noxios tendi, unguis secari, ura, in crucem agi imperant, atque ad hanc potestatem ambitiosa Judicum & Præfectorum nomina deducunt, cur minor sit honor Medico vita salubritatisque patrono, quam judici mortis administrō? invidit bonis suis natura nostra, ordinis corruptrix, quæ potestatem perdendi reos pluris estimat, quam facultatem servandi civis unde hoc tantum malum est, ut minor sit, qui servat bonus, quam is qui perdit malos? ad marginem circa hunc textum adscribit: Sanantis major quam occidentis majestas esse debet.*

O quam pulchre & rationabiliter haec Conzenus, qui vel ipsis justitiae administris Medicos judicat præferendos, nedum Advocatis. Jurisprudentia est, ut Imperator l. i. inst. tit. i. definit, rerum Divinarum & humanarum notitia,

titia, justi atque injusti scientia. Posito nunc quod quis ex Academia redux, illorum habeat notitiam, an proinde Médico veterano, docto ac prudenti erit præponendus, quasi vero & Medici nullam habeant divinarum humanarumque rerum notitiam, justi atque injusti scientiam? D. Nicolaus *Tulpius* Medicus celeberrimus pluribus annis fuit Reip. Amstelodamensis Consul, & justitiæ minister. D. Georg. *Detharding* Augustissimi Danorum Regis fuit Consiliarius, justitiæ & Consistorii Regii Assessor, & quoque Facultatis Medicæ in Academia Haffnieni Professor Primarius. D. Gottlieb Henrich *Kannengieser* magni Ducis & hæredis Imperii Russici est Consiliarius, Cancellariæ, & una Medicinæ Professor Celeberrimus. Cl. Dom. *Cremer* Medicinæ Doctor, Oppidi *Delden* in Tubantia Judex, & singularis meus amicus jam multis annis hoc officio laudabiliter functus est. Taceo alios plures. Non autem laudavero nonnullorum morem, qui vel lucri vel honoris & præcedentiae causa in jure & Medicina simul, imo & in Theologia Doctorum capiunt insignia, vix enim est, possibile est, eam esse ingenii & memoriae capacitatem, quæ trium harum facultatum Encyclopædiam comprehendat ac retineat, ut quis dici possit in triplici hoc genere scientiæ perfectus.

Quæ Advocatorum olim in principio juris fuerit dignitas ostendit *Conzenus* l. 7. politic. c. 24. & scribit, Comitem orientis tantum quadraginta in foro suo habuisse, quorum digni-

dignitatis incipiebant cum officio decederent juxta Sidonium l. 1. Ep. 2. afferentem. *Advocatorum more, quorum cum finiuntur actiones, tum incipiunt dignitates.* Quæ igitur Juvenum ejusmodi Advocatorum potest esse dignitas, cum nullam actionem peregerint, nullum processum evicerint. Unde l. c. Conzenus optat: *Utinam inquit nunc quoque Advocatorum esset summus delectus, & selectorum ad summa promoto, utinam pragmatice Rabulæ, vultures forenses, voraginiæ, urbium pestes, murices subselliorum, latratores fraudum architecti, qui omnia obſident, lites neclunt, iustitiam premunt, tandem aliquando coerceantur, & veris Advocatis honos magnus habeatur.*

Etsi autem veris Advocatis talis honos haberetur, non tamen ad eum gradum ascenderet, in quo is Medicis exhibetur: unde patet hos illis dignitate prævalere. Realis enim honos atque dignitas præ omnibus politicorum & Jurisconsultorum testimoniosis habet prærogativam. Haec tenus in summo flore viguit per universam Europam Academia sive Societas Leopoldino - Carolina, nunc Franciscana, ex celeberrimis variarum nationum Medicis constans, quæ tantis gaudet privilegiis, ut nullum juristarum & Advocatorum Collegium ad ea aspirare audeat. Ejus namque præses in perpetuum ex gratiolissimo indultu Divi LEOPOLDI Imperatoris ipso actu est S. R. Imp. Nobilis, veris antiquisque nobilibus æqualis, Sacrae Cæsareæ Majestatis Archiater, ejusque personæ imperialis Medicus, Aulæ

Cæsareæ, Palatii Lateran. & Consistorii Imperialis Comes &c. ut sequens Diplomatis Cæs. extractum docet, quod Ephemerid. German. Decur 2. anno septimo habetur.

„ Quo autem Academiæ hujus nostræ Leo-
 „ poldino - Imperialis Naturæ curiosorum
 „ splendor eo magis elucescat, sœpe fatos ejus-
 „ dem Præsidem Joannem Georgium Volckame-
 „ rum, Helianthum dictum & Directorem
 „ Lucam Schröckium Celsum nominatum,
 „ omnesque eorum in officiis Successores hac
 „ porro beneficentiae & largitatis Cæsareæ in-
 „ signimus nota, atque in numerum, consor-
 „ tium, statum, gradum & Dignitatem No-
 „ strorum, & Sacri Imperii, Regnorumque,
 „ ac Ditionum Nostrarum hæreditariarum
 „ Nobilium assumimus, extollimus & aggre-
 „ gamus, adeoque ab omnibus, & singulis
 „ cuiuscunque status, gradiis, ordinis, con-
 „ ditionis, Dignitatis aut præminentiae fuerint,
 „ pro veris Nobilibus haberi, nominari, repu-
 „ tarique volumus, decernentes ac firmiter sta-
 „ tuentes, quod post hac ubique locorum ac
 „ gentium, præprimis autem in illis urbibus,
 „ comitatibus ac locis ubi degunt, in omni-
 „ bus & singulis exercitiis, actibus, solenni-
 „ ratibus & studiis iisdem honoribus, præce-
 „ dentiis, officiis, Dignitatibus, Insignibus, pri-
 „ vilegiis, immunitatibus, prærogativis atque
 „ libertatibus uti possint & valeant, quibus
 „ Cœteri Nostri Sacri Imperii ac Regnum,
 „ Provinciarumque Nostrarum hæreditaria-
 „ rum antiqui Nobiles quovis modo utuntur,
 „ fruun-

„ fruuntur, potiuntur & gaudent absque omni
„ impedimento & contradictione &c. Qui-
bus porro talia addita sunt Privilegia, qualibus
nullus gaudet communis S. R. J. Nobilis.

Fulserunt illa dignitate DD. *Jo. Laurentius Bauschius, Michaël Febrius, Philippus Jacobus Sachsis* (cui quoque ob merita Collegio inde-
finenter per plurimos annos præstata torque vel
catena aurea cum appensa Augusta imagine do-
navit, & vienna transmisit Divus LEOPOL-
DUS Cæsar, ut memorat in Memoria Sachsia-
na *Jo. Daniel Major, Professor Kiloniensis*) *Henricus Voll* guadius, *Joannes Jenissus Ura-*
tis Lavienses, quos quoque eodem imbre au-
reо, Augusta nemque imagine è torque aureo
pendente benignissime irrigatos scribit *Lueas Schröckius* in Nobilium ordinem à Cæsare re-
latus in Historica continuatione progressus
Academiae Leopoldina Decur. Miscellaneor. 2.
anno 7. quibus Joannem Wilhelmum *Widman-*
nnum olim dum viveret, & nunc Excell. DD.
Andream Eliam Büchnerum & Christophorum
Jacobum Tren S. Cæf. Majest. Consiliarios &
Archiatros, Comites Palatinos Cæsar. S. R. J.
Nobiles, modernum Academiae Imperialis N.
C. respective Præsidem, & Directorem hono-
ris causa addere fas est.

Jam pridem gloriabatur Medicina nostra Il-
lusterrimo & Generosissimo Domino *Nicolao*
Wilhelm à Beckers Regni Hungariæ & S. R. J.
Equitis ac L. Baronis de & in *Waldborn*, &
Schonkirchen; Illusterrimo D. *Friderico Ferdi-*
nando Illmero à Wartenberg. D. *Joanne Ferdi-*

nando Hertodto à Todtenfelt. D. Paulo à Sorbait, omnibus Med. Doctribus, Cæs. Majestatis Archiatriis, Comitibus Palatinis S. R. J. Nobilibus. An ulli Advocato qua tali, ejusmodi dignitas collata, prærogativa concessa?

Cœterum dantur quoque plures Medicinæ Doctores Nobiles & Barones, imo Comites. In Anglia illorum minores filii Medicinam profitentur. In Italia horum filii natu minimi plerique studio medico operam navant, ut ex *Fracaſtorio* in Scaligeranis allegatur verbo Comites. p. 99. Hodie D. *Adamus Molnar* nobilis Hungarus Medicinæ Doctor Claudiopoli in Transylvania praxin exercet. Brixiae D. Comes *Franciscus Roncalli Parolinus* Medicinæ quoque Doct̄or nuper ad commercium litterariorum invitavit omnes Europæ Regionum Medicos edito Schediasmate five Programmate: *Europæ Medicina à Sapientibus illustrata.* L. Baro *Jo. Baptista von Helmont* Toparcha in Merode, Rogenborch, Oorschot, Pellines &c. Medicinam Professus verum in vita Samaritanum egit, falsas scholarum hypotheses refutavit, & novum Medicinæ systēma condidit, in praxi adepta nobilem Helvetum Theophrastum ab *Hohenheim* secutus.

Idem pluribus virorum illustrium exemplis si opus foret, & nisi hæc sufficerent confirmare possem. Verum hæc ad summas dignitates ordinis Medicorum ob bene merita elevatio magnam apud Causidicos causat invidiam, ut quocunque etiam modo eam deprimere possint, non intermittent. Specimen hujus suffi-

sufficienter exhibent Curiæ, quarum Senatus in magnis urbibus plerumque habet unum alterumque præter Syndicum etiam Causidicūm, Agyrtis & circumforaneis licentiam concedentes, in foris publicis eretto peggmate suas merces, olea, pilulas, pulveres, Theriacam, Orvietanum mere falsa ac fucata pharmaca, distrahendo & cum ingenti laudum Syrmate care vendendi, quod certe non modo in Civium manifestum damnum, sed etiam in ipsius Medicinæ, eamque profitentium Poliatrorum cedit despectum. Plebecula enim judicat parem Medicorum in urbe paxin exercentium esse conditionem, præsertim quando, ut passim audit, Dominus ille Doctor, seu potius stenator Theatralis, varias ludit scurriles Comædias, in quibus & ipsa Domina Doctorissa personam agit, cum tamen ejusmodi scurræ, tot saepe exhibentes publico scandala, in reali sint excommunicatione.

Marcus Tullius Cicero plures sui temporis Advocatos l. de Orator. graphicè descripsit, ad cuius imitationem si aliquos quoque nostri temporis descripsero, innominatos tamen, licet ille propriis nominibus compellârit, lectori non ingratum fore judicamus.

Rulleus obscura domo natus de aliquali tamen patrimonio ex matris dote provisus vix absolutis apud Jesu Socios studiis primo Coloniam, Wetzlariam, & postea Pragam intra Biennii spacium visitavit, in patriam redux in Universitate lucripeta gradu Doctorali insignitus nunc Advocatum agens vocem habet ve-



nalem, multum namque oris & linguam habet agilem. Mercurium habet in pedibus, in civitate ex loco in locum ambulat, audit, refert, sollicitat, quasi multa negotia habeat execunda. Intra binos annos jura addiscere magnam ostendit ingenii capacitem. Aliud est per urbes discurrere, aliud in Academia. Neminem promovet cursus, sed apud libros vita sedentaria. Non peregre transmittendae pedibus urbes, sed cerebro solidarum rerum negotia. Præstat domi vel post fornacem manu librum, quam pede terere montem olympum:

Sedendo

*Inquit Aristoteles, sapientes sumus, eundo
Nam quis non Asinus fieret, sapientior ipso
Socrate, quem constat multum pressisse sedile.*

Nolo equidem inter Advocatos inquirere veterem illam Arcadum stoliditatem, *Lesbios & Cumanos* Asinos, Abderitanæ plebis pectora aut Thracum puerilitatem, certum tamen est, non omnes Doctores Causidicos æquali judicio atque ingenio valere.

Ventius nascendi conditione Codrus, nunc incedit ut Cræsus. Nuper plebis infima subfellia deseruit, in Gallia paucis ludovicis aureis promotus Jurium Doctor. Hunc, ut ait *Seneca*, nobilitavit stoliditas, apud patriæ nobiles frequentem. Assentatorem minimum agit & parasitum. *Matutam* æmulatur, quæ ut alapis, sic variis vexit se ludi permittit. Peponem enim pro cerebro habet, & cum bardis, & stupidis ad promontorium viride

Æthio-

Æthiopicum relegari meretur, ne suo juristarum Collegio amplius sit dedecori.

Gratiolus speciosa veste per urbem incedit, etiam in templis comparer. Serici pallioli syrma fluens dorsoque pendulum fluctuat perrucatus odore pulvere aspersus fronte surgit apex, è Castore pileus sub brachiis gestatur. Nil mirum. Audit juris Doctor. Putat se esse Causidicorum Ens supertransiens, cui cœteri subesse debeant, tanquam species subjicibles. Alios tamen habet consiliarios & causarum suarum Advocatos, cum Constantio viro musea semper addicto & libris veluti intumulatae, licet non Doctore, consultat, confert operâque utitur. Nominalis est. Doctorale decus emit in Academia indoctis non durâ:

Advocatus, Onosander,

Nomen haud aliud scio,

Et ut liquidius me scire contingeret,

Non aliud illi nomen inderem libens.

Bibliotheca gaudet insigni à parente per hæreditatem acquisita. An forte hæc voluminum moles doctum arguit Doctorem? Bibliotheca tam veterum quam recentiorum Jurisconsultorum ostentat opera. Vir itaque necesse est, sit eruditus, & ad exemplum patris præstans Causidicus. Sed nil minus. Doctor hic similis est pueris (quæ comparatio est Erasmi) quibus totus noctes lampades ardent, sed parum advigilant. Vidi in Saxonias Doctores sine libris, & apud nonnullos plura vitra, quam libros. Vidi & libros sine Doctoribus, qualis hic præfens est, & in Doctorum ædibus

doctiora scrinia quam pectora, qui eruditio-
nis maximam partem putant saltem Bibliotheca
gaudere, à qua forte exutias triennalem
pulverem. Hunc tamen virum ingeniosum
reddit Advocatum Oenoposia crebrior, &
vinum sententiæ, quod acutos reddit spiritus.

Favoritius asparagorum more in Academia
recoctus Doctor lucrificam profitetur Advo-
candi praxin sine doctrina; Hanc non sed ejus
bursam passive exanimarunt graduum institu-
res, ut tales non abfurde appellat *Langius*.
Titulum habet, sed sine vitulo, quem tamen
brevi expectat ex recommendatione agnato-
rum uxoris, aut Consiliarii, aut Referenda-
rii, cuius officium satis est quæstuosum, ex
quacunque enim lite, quocunque cadat, &
suas habet sportulas, & præter has non raro
munuscula culinaria, mensæ sustentandæ suf-
ficiencia, quasi justitiæ accelerandæ symbola.
Utinam non sæpe talia, quæ marsupiis servi-
ant, aut corruptelæ suspicionem præbeant!
Cœterum et si tali munere aliquando *Favori-*
tius potiretur, nescit tamen rationes decidendi,
juxta quas causæ judicandæ.

Vide nunc in palliolo serico, levi & tenello
Doctorulum *Marconum* illud palliolum stu-
diorum fructus est & præmiolum. Præcipu-
um & maximum illius mobile. Tutamen tot
Clientum, sed sub aurea pluvia miserum tegmen,
Exuviae tristes Danaum. Gestat illud, uti Do-
ctor, *Marconus*, qui nec juris apta domesticis
nec forensibus pectora gerit. Militat sub Rege
auri-

aurium, quem nolo nominare, tunc saltem
celer juxta Satyricum:

*Cum mucida signum
Mappa dedit, patulasque afflat gravis ampho-
ra nares.*

Non mirum, eum tardigradum. Venter enim bipedem extans gravis sarcina est. Felix ille quod non apud veteres Gallos vixerit, apud quos referente Strabone mulctabatur, quisquis Zonae mensuram excesserat. Ex ingluvie enim & desidia nasci abdomen turgidum judicabant. Sic Advocatus hic pingue alit aquaculum, an etiam subtile ingenium?

Ad Referentis manus eum nuper aulae favor promovit, unde eum nunc quivis veluti insignem & egregium JCtum veneratur, cum tamen si testae probativae imponeretur, in meas sit abiturus scorias. Decretis mere interlocutoriis, ne contra jus impingat, officium suum exequitur.

Bæotius Causidicum agit. Est ens sine cultura, propullulans veluti derepente natus fungus. Seminalem suam essentiam doctoratus maximam partem recipit ex titulo empto & putatione vulgi, sub crassa tamen legum ignorantia. Animatus hic fungus acquiescit stylum quandam curiae, & methodum quandam compositionis productorum ut vocant, & allegationis ex Repertoriis. Sic irruit personatus, & partes in scena advocativa agendas sibi arrogat, pleno impetu id agens, ut omnes quos potest, litigantes ad se pertrahat, & deprædetur. Sic in formalem Advocatum transfor-
matus

matus se per imposturas, vaframenta, & blandimenta, imo per dona in quorundam aulæ Ministrorum favorem insinuat ad quandam promotionem consequendam, cum tamen stupidus sit idiota, eruditionis hostis & meras Thraso parum juris peritus.

Hi nunc descripti Causidici pestilens Reip. sunt animal, indignum, quod toleretur æquius à Principe, quam lupi inter oves & vulpes inter gallinas consideremus nunc vicissim & comparemus cum his Advocatis Medicum. Hunc Deus creavit: Hunc Deus vult honorari: Disciplina Caput ejus exaltat: Hic à Regibus accipit donationem: Hujus opera sunt necessaria: Hic in conspectu magnatum collaudatur. Ita asserit & verificat Sacer Codex. Talis posuit singulari diligentia fundamenta Doctrinæ, eruditionis & experientiæ. Theoria ejus & praxis à vera ratione & experientia dependent. Parvi facit, quæ ostentationi inserviunt. Non querit applausum apud ignarum vulgus. Omnem movet lapidem, ut arti fidem server, neque illam lucro vel voluptati prostituit venalem. Diligit magis esse quam videri humani generis ex fundamento curator: Erga pauperes non minus quam divites obsequiosus & promptus, ideoque ab Homero accepit elogium: *i. iliad.*

Viv Medicus par est multorum millibus unus.
Sive ut alii.

Est Medicus prudens multis præstantior unus
Ille viris.

Et iterum odyss.

Medicus ut quilibet sciens supra omnes homines.

CA-

C A P U T X.

Justæ Themidis sententia, quod Medicis præ Advocatis competit prærogativæ dignitas adeoque jus præcedentiae, rationibus decidendi amplius confirmatur.

Sufficienter quidem hactenus probata est Medicorum præ Advocatis dignitatis prærogativa, nonnullis tamen argumentis, & aliquibus recapitulatis hanc Thefin confirmabo.

Famigeratissimus ille in Ecclesiasticum Commentator. R. P. Cornelius à Lapide S. J. Medicos inter Theologos & juristas reponit, Theologis primos Medicis secundos ob objecti Majestatem & præcellentiam adjudicans, quatenus Medici Divinæ bonitatis & benedictionis sunt instrumentum, omnis enim medela à Deo est, lis autem omnis à Cacodæmone iniuriarum incentore. Causidicus igitur diabolii instrumentum est, si processuum flaminas accedit, fovet, protrahit, rancore, ira, furore, odio, iniquitate sæpe plenas.

Medicina juris legibus antiquior est, ut supra ostensum, & in Campo Elycio Cl. Caspari de Reyes, cuius in Mantissa probationes adducemus, magis patebit; cum igitur ex illo legali axiomate, *qui prior est tempore posterior est jure*, ex quo efficacissimum præcedentiae argumentum desumitur, docente Bordono Theatr. præced. n. 420. sequitur Medicos saltem Causidicos præcedere.

Illa scientia juxta Philosophum I. i. de anima est nobilior, cuius subjectum, seu objectum

ctum est nobilis & majoris boni effectiva. Jam vero objectum Medicorum longe est nobilis, & præstantius objecto Causidicorum. Illorum objectum est Corpus humanum, ejusque tam præservanda quam curanda sanitas, omnibus fortunæ bonis sine comparatione pretiosior, Causidicorum objectum hujus aut illius agelli, prædioli, pecuniolæ, hæreditatis vendicatio. Apud minorum gentium Advocatos de tritico vel vino legato, de finibus agrorum recte dividendis, imo vel sæpius de glande legenda imo quod longe vilissimum, de Asini umbra litigatur, ut *Demosphenes* recenset.

Cum Athenis causam capitalem defendantis auditores parum attenti obstreperent, paulisper nunc iam, inquit, mihi aures præbete. Rem novam & auditu jucundam in medium prolaturus sum: ad quæ verba cum illico altum silentium, summaque auditorum attentio extitisset. Juvenis quispiam inquit, Afinam conduxerat, rerum quiddam Athenis Megaram deportaturus, in itinere vero cum vehementi solis ardore infestaretur, nec umbraculi copia uspiam esset, tandem bestiam radiis solaribus opponens, sub Asino, ut aestum fugeret, refedit. Ibi agaso obtutari, factum controvertere, bestiam depellere, Afinum ut iter, non ut umbram faceret, locatum dicere. Alter vero ex adverso jus Asino utendi, fruendi, pro arbitrio toto locationis tempore se se habere. Quid multa? de verbis ad verbera & domum in litem res deducta est. His dictis

De-

Demosthenes discessum parabat. Athenienses autem, ut reliquam fabulæ partem, quis nempe causa secederit, & inter illos viator evaserit, enarraret, flagitabant. Ubi ille, itane inquit, narratio de Afini umbra vobis cordi est, seria audire operæ pretium non videtur. Ita etiam sane de Afini umbra, & similibus vi- lissimis quisquiliis ab Advocatis litigatur.

Juxta Andream Barbatum illa scientia est nobilior, cuius finis est dignior. Nam omne agens agit propter finem, & finis est, qui movet agentem, & est causa causarum, ut dicit Philosophus. Finis Medicorum intentus est felicitas sanitatis humanæ, superans omnem mundi felicitatem. Finis advocationis est tantum quædam felicitas boni materialis. Finis Medicinæ est conservatio substancialiæ & essentiæ hominis. Finis Causidici est conservatio tantum qualitatis & accidentis extra hominem, ut v. gr. quis sit Dives. Conservatio autem substancialiæ & formæ est dignior finis & magis necessarius fine conservativo qualitatis, quod dicit esse clarissimum, quia substantia est dignior accidente, & quidem extrinseco.

Unde concludit Paulus Zaccbias qu. med. legal. l. 6. Tit. 3. qu. 8. Bonum emanans è Medicina esse magis necessarium ad consequendam felicitatem, quam bonum emanans à jupiteritia, quia sanitas præ omnibus exterioribus bonis ad felicitatem consequendam necessaria, & ob hoc divitiæ ad sanitatem ordinantur, non sanitas ad divitiias. D. Thomas c. 2. qu. 2. artic. 5.

Bo-

Bonum commune & publicum in bonum universale Reip. redundans majus est bono privato. Conservatio patriæ in morbis Epidemicis & contagiosis est bonum Provincia- rum & civitatum commune. Ergo honorabilior est professio Medici, qui illud pro fine habet, quam Causidici alicujus, qui bonum individui, vel saltem particularis cujusdam familiæ procurat. *Bervaldus* in orat. ad qu. Tuscul. dicit. Quis nescit Medicum ad omnes totius civitatis ordines, ad omnem sexum, ad omnem ætatem pertinere cum summaribus, infimatis, viris, fæminis, pueris ægrotare contingat, cum omnes ex hoc utilitatem indiscriminatim petant, meritoque dici potest. Medicum rem communem terrarum esse, & revera si vera dispicimus, si curiose cuncta perpendimus, sola Medicina, soloque Medico opus est omnibus &c. Et certe expertus Medicus est utilitas publica universæ gentis. Et tum in morbis epidemicis sexenti Advo- cati non valent tantum, quantum unus Polia- ter. Propter hoc promisit Hippocrati Rex Artaxerxes præcedentiam inter primates, & tantas opes, quantas ipse vellet. Mori sanè pro patria gloriosum est. Quis pro patria mor- ritur Causidicus? nullus certè. Cum è con- tra inumeros médicos loimetros lue malignâ graffante publico & proximo servientes libiti- na abripiat.

Bonum magis necessarium est longè majus bono minus necessario, publica autem sanitas ac liberatio à peste & morbis malignis Reip. magis

magis est necessaria, quam patrocinium Causidici in causa privati. Ergo Medicina Jurisperitiae praferenda.

Bonum simpliciter est majus, quam bonum secundum quid. Sanitas autem inter bona terrestria maximum est, adeo ut felicior reputetur agricola semper bene valens, quam Princeps semper ægrotans. Sanitas igitur est magis appetibilis, quam bonum alicujus forte hæreditatis aut prædii; & ejus non gaudet magis esse sanum, quam potiri litigii victoria.

Sanitas corporis etiam est sanitas animi & ex hac proxime consequitur, ut fuse probat Cl. de Reyes in Camp. Elys. quæst. jucund. Hanc autem & Medicus intendit, ut mens sit sana in corpore fano, & homo sub sanitate sit aptus & exequendo muneri suo, & Deo serviendo, quæ opera longe nobilior est Advocati munere, quod ad obtainendam possessionem cujusdam boni, animæ sæpius summi noxii, impenditur.

Medicus causat bonum intentum per se, sc. Sanitatem: Jurisperitia Advocati per accidens sc. Clientis divitias, Justitia autem à Judice administratur, tanquam habente potestatem à Principe, cuius vices repræsentat, non ut Jurisconsultus, quia etsi non sit jurisperitus, justitiam administrat, veluti à Principe potestatem habens. Plures namque dantur judices & justitiæ administri, haud dignitate Doctorali insigniti.

Causidici putant, se justitiæ ministros, quod judicii jura & leges proponant. Cujus

H

falsi-

falsitatem egregio simili illustrat *Paulus Zaccias.*
Seplasiarius herbas & simplicia medicamentis
 componendis apta colligit ex quibus Medicus
 lege artis construit remediorum formulas,
 quibus ægrotantibus reddit sanitatem. Si quis
 jam diceret seplasiarium hanc causasse, an non
 foret ridiculum? Advocatus ex constitutis le-
 gibus feligit ea, quæ ad particularem homi-
 nis aliquam actionem tuendam apud Judicem
 sunt apta, ipsique judici proponit, tum judex
 relictis, quæ ad rem non faciunt, secundum
 ea, quæ ad rem faciunt, justitiam exequitur.
 Ita Advocatus in exercendo actus judicii nihil
 omnino per se & primario, sed per alium &
 secundario operatur, neque ullo modo dici
 potest causare justitiam. Imo Causidici simul
 & semel pro justitia & contra eam laborant,
 cum enim duo litigant, necesse est, alteruter
 causam habeat iniquam, quam tamen quoque
 defendantam suscipiant, parum solliciti, an
 æquitas servetur, modo clienti suo cedar
 victoria.

Concludendum igitur cum *Paulo Zaccia.*
 1. c. §. 22. ubi ait: *Cum ergo bonum emanans à
 Medicina tantopere exuperet bonum emanans a
 jurisperitia in Excellentia, in necessitate, in ap-
 petibilitate, & præter hæc causet bonum inten-
 tum immediate & per se, jurisperitia autem bo-
 num à se intentum, causet per aliud, patet quod
 Medicina jurisperitiæ debeat omnino præferri ut
 vult *Leoncellius* de præcedentia hominis qu. 9. art.
 9. & II.*

Dicunt

Dicunt Advocati se Jurisconsultos, æstimant se justitiae ministros. Medici autem sunt veri naturæ Consulti, veri naturæ Ministri, quod quid longe est sublimius, quam Causidici privato cuidam in lite servientis officium. Cujus explicationem latius exhibet celeberrimus *Wolfgangus Wedelius* Exercitat. med. Philolog. Decad. 5. Exercit. IX. ad quem brevitatis causa remitto, & cum sacrarum litterarum textu Ecclesiastic. 38. finio.

HONORA MEDICUM PROPTER NECESSITATEM
 ETENIM ILLUM CREAVIT ALTISSIMUS,
 A DEO ENIM EST OMNIS MEDELA,
 ET A REGE ACCIPIET DONATIONEM,
 DISCIPLINA MEDICI EXALTABIT CAPUT ILLIUS,
 ET IN CONSPPECTU MAGNATUM COLLAUDABITUR.

M A N T I S S A.

IDem Argumentum, nempe jurisperitum Medico non præferendum, neque altiori honoris gradu collocandum, fuse & eleganter ex instituto pertracta vit Cl. Casparus de Reyes in campo elyso quæstionum jucundarum quæst. 2. contra Juristas superbia & fastu tumentes, qui suam inter astra scientiam caput condere gloriantur Quem haec tenus nemo refutavit, quia non potuit. Tanta enim se jactant vanitate, ut hanc controversiam nec admittant proponi, jam semet ipsis judicibus determinatam.

H 2

Probat

Probat igitur illam jurisprudentiæ partem litigiosam circa causas forenses occupatam jure Medicinæ postponendam esse, adeoque Medicos Advocatis anteponendos, cum non de communi, sed de proprio & particulari litigantium jure Causidici disceptent. Hujus itaque clarissimi scriptoris argumenta in synopsi quadam proponam.

In primis Advocatorum futilibus & malevolo odio excogitatis argumentis, quibus Medicinam de proprio honoris gradu dejicere præsumunt, solide respondet. Arroganti jaetantia Medicinam impugnare contendentes, frigide objiciunt, illam non posse esse scientiam, quod de singularibus agat, quorum non est scientia. Imo quod ars factiva ab ipso *Hippocrate* appellatur, quæ habitus est operatus. 2. Quod circa speciale objectum non versetur ut cœteræ scientiæ. 3. Quod quælibet scientia per demonstrationem ex necessariis debeat procedere; Medicinā vero ex probabilibus tantum, quæ opinionem, non scientiam valeant generare, cum præcipue totâ fere experientia, non demonstratione acquiratur. 4. Instant, Medicinam de rebus contingentibus esse, quæ fallere & aliter queant evenire, scientiam vero de necessariis atque perpetuis esse debere, quod pateat ex *Aristotele*.

Futilibus hisce argumentis solidissime respondet Excell. hic author. Dein ad majora venientes legulistæ contendunt scientiam suam mundi primordiis vicinorem extitisse, & sic leges Medicina longe vetustiores esse, quod lex

lex in paradiſo lata fuerit: *Ex omni ligno co-mede, de ligno autem scientiae boni & mali ne comedas.*

Respondet primò *Cl. de Reyes*, legem illam non fuisse juridicam, sed plane medicam, unde ejus eſum mortem allaturum addidit rerum conditor, quare & ejus transgressionem tot corporis mala, utpote vultus ſudores, partū dolores, omnes ægritudines, & tandem mors ſunt ſecuta.

Secundo dicit, quod antequam lex illa à Domino ferreretur, creatam jam fuisse Medicinam & abundantissimam materiam medicam. Erant enim ante Adami creationem plantæ fabricatæ, ingentibus dotibus ac virtutibus locupletatæ, quarum scientiam Adamo fuisse infusam ſcribit *Marsilius Ficinus*, ut is fuerit primus Medicus. Ex quo pater evidentissime, veteriſtorem extitiffe Medicinam, quam leges, quæ postquam hominum crevit malitia, ad corrigendos & frænandos illorum depravatos motus & in honestas actiones temperandas à legislatoribus inventæ ſunt. *Moysen* vero pri-mum hominum fuisse, qui scriptis leges posteris tradidit, docet *Josephus*. Ante enim moribus tantum, & ſecundum Regum præceptiones populos Regi conſuevit idem tradit Author. Unde respectu antiquitatis Medicinam priorem locum occupare indubium est.

Jaētant præterea tumentes juristæ Medicina longè nobiliorem eſſe ſuam scientiam, eo quod circa animum versans ferocitatem legi-

H 3 bus

bus compescat, ac per leges iustitia, pace, tranquillitate modestia, ac aliis virtutibus imbuat. Medicinam vero circa corpus & illius tantum affectiones versari, qua ratione permotus *Cælius Phodiginus l. 18. c. 19.* jurisperitum Medico anteire scribit, *Minoemque ait* tanto fuisse *Galen*o eminentiorem, quanto est corpore præcellentior animus,

Responde Cl. de Reyes, quatenus jurisprudentia lites tractat & causas inter particulares ex ortas respicit, ut fundus, patrimonia, hæreditates & cœtera fortunæ bona huic & non illi cedant, à Medicina in tantum superari, quantum æstimanda magis salus & vita est, quam res familiares, qua propter vitam, & commodum illius usū necessariæ sunt, non verò ad simpliciter vivendum. Licer autem circa corpus sanabile Medicina versetur, circa animum tamen quoque multa conferre valet, non minus quam Theologia & moralis Philosophia, siquidem etiam hominum mentes virtutibus ornat, quatenus melancholias sedat, Furiosos placat, phrenes reprimit, dementatos restituit, & insanis sanam mentem reddit. Quid autem furioso faciat Jurisperitus? quid phrenitico aut maniaco Causidicus, nisi operâ Medici restituantur, & quid hoc, nisi animæ rationalis depravatos morus aut exorbitantias componere, & reducere ad limites synceri indicii? ut nonnullis ostendit exemplis. Quod autem ex sanatione corporum maxime dependeat animorum bene constitutorum salus. Fusa multis historiis comprobatur.

Obji-

Objiciunt porrò Jurisperiti, ignobilem esse Medicinam ac servilem artem, quam antiquitus servi tantum exercebant. Susurrant verba Josephi Genes. ultimo, *præcepitque servis suis Medicis, ut aromatibus condirent.* Unde colligunt apud Hebræos Medicos habitos fuisse servos.

Respondet Cl. de Reyes Hebræos etiam magistros unguentorum, quibus lavandi, fricandi, & condiendi mortuorum corpora officium mandabatur, Medicorum nomine compellâsa. Apud Romanos quoque, quibus eo tempore maxime fuit balneorum & unguentorum consuetudo, omnes illorum ministri coqui, Balneatores, pharmacopolæ, Clinici, Diætarii Medici nominabantur, quod adhuc suo tempore observari scripsit Galenus, nam & coquum Medicum appellari consuevit tradit. Horum homonymiam ac differentiam ex ipsis Jure-consultis fuse probat.

Verum uti à veris & genuinis Medicis hi maxime distincti erant, ita dignitate & honore longe disparebant. Quid enim cum Doctris Medicis vile ac sordidum mancipium? an hi sunt, quos Iesu Syrac testimonio Ecclesiastico honorandos præcipit, & in conspectu Principum laudari tradit: An hi quos Romani magna admiratione consecuti tot præmiis, tot immunitatibus cumularunt? An hi de quibus seneca de benefic. c. 15. Horum omnium apud nos maxima Caritas maxima reverentia est. An hi, de quibus ipsa legum Decreta monent, spuriuos ad Medicinæ dignitatem non admittendos,

quoniam tantæ nobilitatis habeantur indigni? Sic tenent *Augustinus Anconitanus, Antonius Florentinus, Tiraquellus, Godofredus*, & plures alii, quæ sane cum Atheniensium Decretis conveniunt, à quibus lege sanctum est, ne servi aut mulieres Medicinam addiscerent aut exercearent, ut ex *Julio Hygio l. 1. c. 174.* patet. Demum eleganter id ipsum in juristas retorquet, eorumque plurimos servos fuisse ostendit.

Denique ne juristarum odio aliquid deficiat, ultimam ignominiae labem se addere imaginantur, cum Medicos ajunt circa obsecna & adversabunda assidue versari, utpote fordes excrementa urinas. Quare frequenter in illos verus illud scomma jactant:

Stercus & urina Medicorum fercula prima, frivola hæc sunt inquit *Cl. de Reyes*, cum etiam Jurisconsulti de Cloacis & stiilicidiis, de sterquiliniis judicium ferant. Quod si ea cominus non traetent, ut Medicus, hoc nil scientiae detrahit. Cum naturae Majestas sic hominem disposuerit, & taliter dispositum Mundi Epitomen & Dei imaginem fecerit, nec ullus evitare possit, quo minus excrementa illa in penitissimis interaneis contineat, illis vivat, & illorum causa tam superbum animal millies vitam finiat, quando ut *Plinius l. 26. c. 8.* ait: major mortalium pars illorum gratia vivit: quin ea persentiscere & odorare quis non quotidie cogitur? Siquidem tantum abest, ut hoc Medicis vicio vertatur, ut potius magis laudandi æstimandique sint, utpote qui ejusmodi
puto-

putores non exhorrescant, ut hominum saluti,
per omnia consulant & vitae provideant.
Vanum igitur fuerit illa, ex quibus natura nos
constare voluit, & sine quibus noluit vivere,
in dedecus alicujus hominis aut artis objicere,
præsertim quando in nullo alio prætoplastæ
opere illius artificium & scientia magis eluceat,
quam in corpore humano, vel ipso Clamante
Divino psalte ps. 138. *Mirabilis facta est scien-*
tia tua ex me. Quod ibidem pluribus proba-
tum videri potest.

His igitur argumentis Medicinam devictam
osores Causidici arbitrantur, & insino hono-
ris gradu collocandam, ad cujus spolia colli-
genda & diripienda adversarii, & præcipue
rogati iſbi ne dicam vultures, ut loquitur *Apulejus* ſe ſe accingunt, tropheum statim erigen-
tes, & tyrannico veluti fastu superbientes
omnia ſibi deberi credunt, quæ ſi jure non
poſſint, per vim arripiunt, ut nihil tantæ glo-
riæ ambitioni videatur ſufficere, nec alios præ-
ter ſuo *Papinianos, Servios, Sulpicios, Paulos,*
Ulpianos, Treparios, Tuberones, Cassios, Julianos,
Triphonios, Marcianos, Alphenos & hujus-
modi farinæ alios honoris præfatione dignos
nominari volunt, quem gradum ut legitime
juris explanatores ſibi ipſis impertinentur, cum
interim non defint, qui tantam illorum intu-
mefcentiam & mores culpent, ſtratagemata
damnent, & in tanto artis pondere latrocinia
execrentur, in medio foro concreta, ut *Colu-*
mella dixit fanguinaria rapacitate homines
excarnificando, quod duro ore taxat *Apulejus*,

ut illorum facundiam propterea caninam vocare non dubitaverit *Salustius*. Imo *Cicero*, in cuius laudibus tam stupide harent, dum Fratres irridet *Lepaceos*, appellat industrios magis in foro fures, quam fori oratores. De quibus etiam *Divus Bernardus* ad *Eugen.* Papam l. 2. c. 9. proclamat sic: *Hi sunt, qui docuerunt linguas loqui grandia, cum operentur exigua, largissimi promissiores, parcissimi exhibentes, diversi adversus justitiam, eruditii pro falsoitate, & rursus, sapientes sunt, ut faciant malum, eloquentes, ut impugnent verum.*

*Hæc ipsa verba sunt Cl. Caspari de Reyes, contra quos etiam *Chassanæi*, licet de eorum sit familia, discursum invectivum adducit: Hi sunt, qui emunt, inquit, lites, vendunt intercessiones, deputant arbitros, judicanda dictant, dictata convellunt, attrahunt litigaturos, protrahunt audiendos. Hi sunt, qui negant --- inducias, mercatoribus medicinas, emptoribus mensuras, reverentiam Clericis, originem nobilibus, locum prioribus, cunctis jura, quibus nullum genus hominum, ordinum, temporum cordi est. Sunt in Collocutionibus bestiæ, in questionibus statuæ, ad intelligendum laxi, ad judicandum lignei, ad ignoscendum ferrei, ad amicitias parati, ad fallendum vulpes, ad superbiendum tauri, ad consumendum minotauri.*

Egregium sane testimonium Jurisconsulti de *Causidicis!* pergit in eadem materia, & tandem concludit *Medicos*, *Theologos*, *juris peritos* circa purgationem esse occupatos, nam *Medici corpora purgant*, *Theologi animas, juris-*

jurisperiti dant operam, ut hominum loculos expurgent, & crumenas, ubi enim leges multæ, ibi & lites multæ, vita moresque pravi, in quibus allegandis leges ut ceram flectere dicuntur, unde non immerito Terentius: *Fus summum summa sœpe malitia est.*

Porrò ex utriusque facultatis majori utilitate, à qua mortalibus majus adveniat bonum, conatur demonstrare, ut exinde, quam præferre debeamus, innotescat. Supponit ergo nobilitatem, & præstantiam artium & scientiarum ex tribus tantum deduci, vel ab objeto, vel ab antiquitate, vel tandem ab utilitate, necessitate & effectu. Utilior igitur multo videtur Medicus, quam Causidicus, talis quippe vel mediocriter prudens quisquis sibi esse potest, & proprias intelligere & defendere causas. Præterea in civitate regenda morali tantum Philosophia opus est, in qua moderatorem populi, ut Remp. sapienter tractet exercitatum esse satis est, in Medico vero nulla esse potest perfectio sine illa Encyclopædia, quæ ad felicitatem viam numit. Ulterius si necessitas & utilitas ex beneficii præstantia metiri debet, quod à Medico præstatur, ceteris omnibus præferendum esse Aristoteles scribit, dum i. Rhet. c. 56. ita ait: *Honor est existimationis beneficivæ judicium.* Honorantur ergo maxime atque merito qui beneficia contulerunt, beneficentia vero illa primas partes habet, quæ salutis est causa, & ut simus, secunda vero, quæ divitiarum, vel alterius boni. Ergo cum nil aliud Medicus agat, quam salutem

con-

conservare, deperditam restaurare, primum locum illi *Aristotelem* tribuere certum est. Sanitate autem nil in mundo optatius, majus, atque praestantius esse ex Philosophis, *Socrate*, *Catone*, *Platone* *Pythagora*, poëtis, sanctis patribus, rationibus & experientia deducit, & qui hanc procurat, optimum esse & honorabiliorum, demum concludit sententiâ Cassiodori, quam quoque approbat *Olaus Magnus Episcopus Upsaliensis*, & hæc est: *Cum magna atque ardua negotia defenderunt singulorum* (fideles Causidicos & Advocatos peritos intelligit) *sed multo gloriosiores habentur*, qui artis excellentia neverunt expellere, quod mortem videbatur inferre, & salutem reddere sub morbis periclitantein, de qua coæctus fuerat vehementi oru cruciatu desperare. *Ars hæc celebris est*, quæ in homine plus invenit, quam in se ipso cognoscit, periclitantia confirmat, quassata corroborat, & futurorum præscia dolorem extinguit. Propterea inter utilissimas artes, quas ad Justinendum humanae fragilitatis domicilium & indigentiam Divina tribuerunt, nulla videtur præstare aliquid simile, quam quod potest auxiliaris Medicina conferre: ipsa enim morbo periclitantibus materna gratia semper assistit; ipsa contra dolores præ humanæ fragilitate, & ibi eam sublevare nititur, ubi nullæ divitiæ, nulla dignitas poterit subvenire.

Quibus adjungit *Scaligeri* jurisperitis Medicos anteponentis & Horacii & Theodoreti testimonium. Hinc quam ampla ac diffusa sit Medicinæ Scientia, ostendit, nec ignorare debent

bent juris periti; qui multoties Medicorum votum exspectant, & illorum decisionem desiderant, absque qua saepe saepius hæsitant, & quid judicaturi sunt, proferre non possunt, quemadmodum in conceptibus, partubus, in venenis exhibitis, in matrimonium dissoluti-
nibus, in impotentibus, furiosis, melancholicis, virginibus stupratis, vulneratis, mortibus violentis & repentinis; sexcentisque aliis, de quibus late disputat *Paulus Zacchias*, Do-
ctissimus Medicus Römanus, cum tamen Me-
dicis nil à Causidicis petant, quod ad morbos curandos possit conducere. Noh agunt illi de fidejussionibus, stipulationibus, aut jure hæ-
reditario, quæ ad faciendam rem familiarem
tantum spectant, sed de propulsandis morbis,
tuenda valetudine, ac servanda vita; qua nihil
mortalibus gratius aut pretiosius est. Vita
enim idem est, ac ipsum esse, cœtera autem
bona non ad vitam sed commodum ejus usum
serviunt & propter quod unumquodque tale;
hoc magis tale sit.

Medici tantam habent excellentiam, ut
ipsos legum conditores, Cæsares, Reges, Prin-
cipes sibi subiectos habeant, & in eos juris-
dictionem exerceant, nisi morborum tormentis
exhausti necem velint subire, quod per-
belle adnotavit *Plinius* l. 24. in procem. dicens.
Et una artium imperatoribus quoque imperat-
und. *Plato* l. 1. de Rep. in confessu inquit, omni-
bus verum Medicum corporum esse Principem.
Cum & referente *Æliano* Medicorum velut
Deorum immortalium justa ceu morte pian-
dum

dum nefas Zaleucus Locrensis lege sancivit :
Si quis merum biberit non jubente Medico, morte luat supplicium, quod injussus biberit.

Dein Medicinæ prærogativam probat, ex Privilegiis, donis muneribus, immunitatibus per Imperatores & Reges omni ævo Doctis ac ingenuis Medicis concessis, quorum plura affert exempla.

Adducit plures Medicos in Reges elatos, & primum quidem è Medicis Sacerdotes, è Sacerdotibus Reges fuisse electos, apud Indos & Ægyptios, & uti *Plutarchus* refert nullum eligebant, nisi Medicinæ sapientia foret excultus. Hanc enim artem Heroibus & Heroum filiis licebat exercere, ut *Ælianu*s memorat. Sic & Reges plurimi Medicinam professi sunt. *Mithridates* Persarum, Ægyptiorum *Hermes*, *Mesues* Damasceni Regis Nepos, & *Avicenna* alter Cordubæ Princeps, omnes Medicinam tractarunt, à Medici appellatione haud quam abhorrentes, ut alios taceamus Imperatores, quos ibi adducit, & ipsum quoque sapientissimum *Salomonem*, qui amplitudini suæ & Regiæ Majestati non indecorum aestimavit, si à publicis functionibus respirans in exquirendis naturæ miraculis herbarumque potestatibus aliquid sibi laxamenti imperaret; fusa hic *Salomonis* elogia adjicit.

Quin ipsi Medici Deorum numero adscribabantur, ut apud Græcos *Apollo*, ejus filius *Æsculapius*, *Chiron*, *Asclepiades*, *Machaon*, *Podalirius* & *Pæon*; apud Ægyptios *Apis* & *Osiris*. *Hippocrates* diyinos & soli *Herculi* dicata-

dicatos honores meruit, ab *Artaxerxe* expectatus, à *Cois* retentus, ab *Atheniensibus* elo-
giis innumerabilibus acclamatus, civitate do-
natus, corona mille aureorum pondere coro-
natus, & cæt. plura ibi legantur.

A gentilibus transit ad Christianos Imperatores & Reges, & quanta apud eos, in primis Galliæ & Hispaniæ, in dignitate fuerint Medicis, ostendit. Pluresque in Ecclesia Christiana ad supremos honores & ad excellentissimum Pontificatus fastigium evectiones enumera-
rat, ut *Eusebium Græcum*, *Nicolaum V. Joannem XXI.* lyssa bonensem, cuius scripta sub *Petri Hispani* nomine circumferuntur. *Ludovicus Patavus* nedum Medicus sed Chirurgus ab *Eugenio IV.* intra Cardinalium numerum receptus; & Aquilensi Patriarchatu desuper insignitus est, ut testatur *Fulgoſius*, quam quoque dignitatem obtinuisse *Vitalem de Fur-
no* eximium Medicum refert *Aldrovandus*. His adde tot Medicos sanctitate insignes, quo-
rum aliquos recitat *Moxius*, & quorum mul-
tos alios adduxit peculiari Ecclesiastico Diario *Joannes Molanus*. Ubi ex nobilitate medendi
civilem per leges consequi nobilitatem decla-
rat, ut comitibus in Privilegiis & dignitate
Medici coæquentur, quemadmodum ex titu-
lis juris, & ex Cæsarii oratione funebri per
Gregorium Theologum dicta abunde doceri
ait, nec omittendum, quod magni Hetruriæ
Duces ex familia medica originem trahere no-
mine & facto gloriantur, ut *Mindererus* in
Threnod.

Threnod. c. 3. *Cardanus in Encomio Medicinae* tradunt.

Tandem & finaliter Jurisconsultos forenses & Causidicos his verbis alloquitur: *ite nunc* (iterum repeto) *superbi terrae filii*, *vel auri sacrae fame vel regendi contentioso* apparatu certantes, ac contra eos, quos semi deos non vano elogio putavit antiquitas, livido ore imbutas linguas acute, & iniutilem servorum Medicorum illam farraginem nobis obtruditi.

--- Hæc habui, quæ Medicinæ alumnis offerre possim; plura si voluerint, apud *Lipsium* invenient in oratione, utrum Medicina ari jurisperitia plus boni hominibus attulerit. Quibus ab arroganti jurisperitorum superbia, & vaniloqua illorum jactantia, & adversus Medicos non ferenda contentionе sese muniant atque defendant, ipsorumque probrofā dictēria, futilia rāmen, contemnant & vilipendant.

E P I C R I S I S.

Egregie sane *Cl. Casparius de Reyes*, Medicorum præcedentiam præ Advocatis ab objecto, antiquitate, nobilitate, necessitate, utilitate Medicinæ, comprobavit, & quidem merito ceu Medicus. Proverbiorum enim c. 5. suadetur, *ne des alienis honorem tuuti*. Quilibet enim tenetur jus honoris, id est artis suæ dibilitam præcedentiam tueri ac defendere, ne cessione ultronea toti Medicorum ordini inferatur præjudicium. Juristæ seu Advocati sibi ipsis potestate indebita prærogativam præ Medicis

Medicis adjudicarunt, quibus quidem defacto
resisti, debuisset antiquam honoris possessio-
nem temporis præscriptione stabiliissent, nam
revera tenebantur actione injuriarum, cum &
privatio honoris sub gravi pœna sit prohibita.
Sanè observandum est Medicis, quod monet
Salomon Eccles. c. 12. *Non statuas illum penes
te, nec sedeat ad dexteram tuam, ne forte conver-
sus in locum tuum, inquirat cathedram tuam.*
Per locum enim & cathedram intelligitur ho-
nor & dignitas, sive præcedentia, quam quis-
que servare debet, qui enim honorem inde-
bitum alteri exhibit, sibi debitum subtrahit.

Pauca igitur hæc brevissime ex authoris
campo elyfio jucundarum quæstionum extra-
cta sunt, quæ tamen ille satis fuse cum solida
partis adversæ argumentorum longè plurium
refutatione pertractavit. Nil moratus quo-
dam Advocatorum contradicentium fungos,
qui uti otii, sic ignorantiae sunt mancipia, non
contra jurisprudentiam, quæ circa regendas
Respublicas & regna versatur, & communem
hominum incolumentatem curat, omniumque
ordinum officia moderatur & conservat, &
utique Medicinæ anteponi debet, sed con-
tra alteram jurisperitiæ partem litigiosam,
quam in causis forensibus occupati Advocati
profitantur, disputat & calamum acuit. Hac
enim ex parte jurisprudentia censenda est val-
de defectuosa. Utpote in qua asserente *Cl. de
Reyes* plura sunt negotia, quam rerum voca-
bula, & casus quam leges, ut ipsi Jurisconsulti
fatentur, uide tot inter illius Professores

dissensiones, opiniones, altercationes; ut, si litigari audiantur, non ad legum explanationes, sed ad earundem potius perversiones conductos esse putandum sit. Unde ex mutuis juris peritorum juriis legum veritatem perturbari communiter dicitur.

Et ita locutus est *Aristoteles* Jurisprudentiam Medicinæ anteponens, sicque audiendi, qui primum locum illi concesserunt; *Valesius & Hucherius* pluresque alii, hanc *controversiam* sic solvendam esse docuerunt.

*Cl. D. Thoma Bartholini Dissertatio de Medico-
rum Dignitate.*

OMnes numeros ex asse implent Medici nostri saluti communi excubantes. Non est quod amicum aut rerum judicandarum arbitrum in foro tantum & in curia quæras. Si diligenter attenderis, invenies & foris in Æsculapii fano, quamvis olim extra mænia Romæ extuncto, ubi virtus vel sanitas ad magnæ fortunæ arbitrium non examinatur. Assueti illi morborum censum agere, libitinæ dicere leges, fatis intercedere, & manium jura rescindere, quotidianum illis & vitæ & necis exercere potestatem. Vehementes morborum injurias inhibere neutquam vilius constat, quam onerosa rerum forensium negotia sustinere. Optimum inde & ad imitationem publicum serium nascitur præceptum. Publicorum enim morborum expiations ad subjecti ægri conditionem uterque attemperat. Ille leviora delicta non lege semper *Gabinia* aut *Cornelia* de Sicariis, nec severitate

Mau-

Mauliana punit, sed vinculis subinde laxioribus:
Hic errores commissos viliores vel sibi relin-
quit sua sponte emendandos, vel sobrio vitæ
genere & lenioribus sub signaculo Medicinis
lento gradu & suspensa manu corrigit. At gra-
viores infirmitudines, ne vel latius ad totius in-
teriorum serpentant, vel longa mora sint meleftæ, re-
liquisque labem tacito contagio affricent, for-
tiori arte aggrediuntur, Sanguine morboso ex-
piat, purgamentis igne & ferro & cœteris, quæ
crudelior manus invenit. Quæ Medicinæ præ-
sidia utriusque Reipublicæ, plures qui refugi-
unt, plures ut ille loquitur, stulti, plures timidi,
& male verecundi. Est quidem quasi sævitia in
hac Medicina de scalpello, de cauterio, de sinapis
incendio ; non tamen secari, inuri, & extendi
morderique idecirco malum, quod utiles afferat
dolores, nec quia tantummodo, contristat recu-
sabitur, sed quia necessario contristat, adhibebi-
tur. Horrorem enim operis fructus excusat, &
ululans ille, gemens aut inter Medici mugiens,
easdem mercede cumulabit, & artifices optimos
jam sævos negabit, quum bonæ res atque malæ,
non dolore aut voluptate, sed utilitate atque no-
xa sunt judicandæ. Fortioribus ita in Republica
subinde remedii agendum, quorum rationes
Medicus, in minori cottidie occupatus, habet
perspectas, præsertim ubi nihil in vulgo modi-
cum. Terrent, ni paveant: ubi pertimuerint, im-
pune contemnuntur, dumque superstitione urge-
at, adjiciendi ex duce metu sublatis seditionis
autoribus, aliisque inutilibus terræ ponderibus.
Molestus quoque sit Medicus furenti, Phrene-

tico, & Magistratus indiscretus civi, ille ligando, iste cœdendo, sed ambo diligendo, quod si neglexerint, ubi à recto semel deerratum est, in præceps pervenietur & mansuetudinis nomen cum crudeli permutabunt. Non enim ibi consistunt exempla, unde cœperunt, sed quamlibet in tenuem recepta tramitem latissime evagandi sibi viam faciunt.

Medicorum filii virtutis morborum extirpandis assueti, cur in hominibus regendis velut nube subducti deficerent? facile certe in publicani arenam descendunt, qui in circos sèpius desudarunt. Nolite aut lanienam Hippocraticam horrificere, aut duriores manus quas & morum & morborum perversitas requirit. Excellentibus quibusvis ingeniosis citius defuerit ars, qua civem regant, quam qua hostem superent. Nostri illi Hygiæ sacrati utrumque pari facilitate exsequuntur. Secant morbosum viscus, & dum putredo abraditur, scalpellæ recenti cruento lingunt, in ipso utero necessaria crudelitate dividunt infantem, quando in exitu obliquatus denegat partum, huic brachia decurrent; illi præcordia referant, alii subducto oculorum lumini stilo viam pandunt, isti collectam in inguiculo aquam deducunt, alteri, ne spem familie frustretur, naturam provocant, recluduntque & mille mortes sed sine morte membris tabescientibus inferunt. Reliquas oculis manuque impervias partes velut per cuniculos ingenioso dolo aggrediuntur, pares adhibituri medelarum qualitates adversus querelarum momenta, cum quasi de perverso auxiliantur, per ea subvenientes per quæ labo.

laboratur, calores caloribus amplius onerando compescunt, ardores potus siti macerando restinguunt, fellis excessus amaris potionibus corrigunt, & Sanguinis fluxus defusa insuper venu-la revocant. Nec aliam in secunda fortuna cum sanis ineunt rationem, quos ita fidissimi naturæ statores alimentis domesticis exercent, exercitationibus & aliis modis conservant, ut non facile integer judicii dixerit, an melior sit Magistratus, vel Medicus felicior, adeo gravissimis utriusque muniis animi nunquam territi magnitudine & cordata manu, quo cunque angulo aura spiret, pleno numero defunguntur.

Et sine his quis jam Reipublicæ foret status ? ab incolumentate civium roboreque corporum belli oneribus & negotiis civilibus suffecturo, imperii felicitas dependet. Unde sapientissime solensis ille Crantor, *Xenocratis* auditor & amicus *Polemonis* vitæ humanæ rationem, & constituen-dæ civitatis artem velut in tabella adumbratu-rus, primas virtuti partes tribuit, bonæ valetudi-ni secundas, tertias honestæ voluptati, & divitiis acquirendis ultimas consignavit ; ratus quod res erat, male virtutis studium eminere, aut animum ad præclara facinora surgentem efferriri, nisi salu-bri temperamento promoveatur, nec ullum in voluptatibus exercendis, vel divitiis comparandis esse successum, nisi utriusque bona sentiat corpus sibi constans vel acquirat. Reciproco in-ter se ortu certant error & ægritudo, ut modo hæc illum, modo hunc illa producat.

Valetudinem plerumque bonam contigisse ob bonos mores, *Celsus* pronunciat, quos neque de-

sidia, neque luxuria tentarunt, & ex Galeni nostri sententia animi mores sequuntur temperamentum. Quippe divinitatis ille alumnus, animus noster, talis fere esse solet, qualem esse vult ergastulum ejus, quo invitus clauditur, sed ubi ius suu superum sibi domicilium metatur in puriore originis suae memor, se clarius exserit, & ad immortalia promptius adspirat. Torpescit vero ab ignobili onere corporis depresso. Hinc adeo Medicis olim Dania caruit, quia luxum ignoravit, & gigantei roboris protulit incolas, quia vita simplici contenti cives corpora non gravabant, nec Medicinæ necessitate premebantur.

Gloriatur hac vivendi ratione magni roboris & animi magnæque ætatis Heros *Starcatherus* apud Saxonem nostrum l. 6. Hist. Dan.

Stomachoque placentia fugi

*Fortia complexus animo, namque arma professus,
Aspera vestis erat, cultusque parabilis olim,
Rara quies, somnique brevis, labor otia longe
Propulit, & parco fluxerunt tempora sumptu.*

Apollinis autem prosapiæ id debet, si debere velit, Res publica à prisco vivendi & masculo candore deficiens, peregrinisque libidinibus enervata, quod & cives habeat obedientes & fortis alumnos. Unum illis bonum est, quod beata vitæ causa & firmamentum est, sibi arte sua fideare, in quibus omnes optimi consulis noræ velut pacto fædore videntur, conspirasse. Id ille sedulo agit, ut ad purgandam patriam peregrina via moresque exotici corrigantur, providaque severitate cavet, ne fundata legibus civitas, novis eversa legibus videatur, sed eo animo imperet, ut pari animo cœteri obsequantur.

Me-

Medicus quoque patriæ remedia, patriis morbis conquirit, civibusque sua bona commendat, ne peregrina medicamenta stomacho domes-
tico fastidium pariant, penitusque subvertant ven-
triculum propriis assuetum. Suspensa etiam ma-
nu & libra eo pondere consilia sua inquilina ægris
ad metitur inquinilis, quæ morborum domes-
torum magnitudini paria esse possint. Nihil sibi
ignoscit, nec ægris remittit, sed crudelitatis in-
vidiam ad morbi iniquitatem dirigit, non perso-
nas, sine servili præmio succinctus. Sint licet pu-
blici inter medicastrorum, quorum inopia non labo-
ramus, institores, qui ægris in reditu habent,
quique impune occidunt, modo inter suos reg-
nant; oderunt tamen hoc mercatorum genus
Medici, amantes honesti, quamvis eriam in Re-
publica utopiæ, de aliis enim nihil testari audeo,
omnia sint venalia, & cujusvis fortunæ tessera
pro donorum gravitate obveniat; non patitur
tamen exactior animus se publicis malisque ex-
emplis rapi transversum, quæ videre debet, ut
ex animo pravos mortalium mores detestetur
à nullo medico corrigendos.

Talem medicum commendamus, qui non
eloquitur magna, nec inani spe suos laetat sed
qui magna gerit, & fidem datam solvit.

Non hic ex sterquilinio, ut scarabæi, nec ex
quisquiliis ut mures, nec ex querubus, ut glan-
des, sed ex jovis cerebro prognatus, quanquam
id nescire velint ingratii mortales, qui rem in
æstimabilem emunt, vitam ac valetudinem bo-
nam, cui non rei pretium, sed vix operæ solvitur,
quod deserviat, quod à rebus suis avocatus civi-

bus vacet, mercedem non meriti sed occupationis suæ latus. Non ibit is in novos mores, nec à majorum scholæ suæ institutis per avaritiam, per famæ ostentationem desciscet. Sancta illi sunt præcepta, experientiæ amica, religiosæ observationes tot seculis firmatæ, tot ægrorum chirographo obsignatæ, patriæque civibus accommodæ, indignum putat, contracto pallio inanes ventos involvere, omnique fortunæ mentem operamque dare. Aliter animatus *Cous* noster, animo firmus, & ad quævis imperterritus, vocanti *Artaxerxi* neclucro illectus, nec minis, sibi conscientius, quantum patriæ gratæ debuerit, quantum suis, digna apud omnem posteritatem memoria, nuntium remisit. Ad *Democritum* vero Abderum lubenter concessit, cui eapropter proficiſcenti universa civitas obviam processit, eumque patriæ servatorem & patrem salutavit. Si superent mortales, qui *Medicos* vix titivilitio æſtimant, turpe sibi non putarent, quod aliis fuit fructuorum. Fabulosò ævo cœlorum imperium *Medici* obtinuerunt, jam ad tartara relegantur. Quid per terrarum tractus & immensa orbis spacia decurro? omnium regnorum annales si evolvantur, nullum magnum imperium aut stetisse unquam aut feliciter surrexisse reperiemus, quin vel *Medicos* vel Medicinæ fautores ad fasces vel consilia vocaverit. Quicquid de Principe inventore judicenterudit, *Apin.* non pauci credunt *Phoronei* & *Pythagoris* filium, Ægyptiorum deinde Regem, demum mutato inter Divos nomine Nomen *Sabor* & *Ginges* Medorum Reges, Rex Arabum *Sabid*, *Mithridates* Persarum, Ægyptiorum

rum *Hermes Medici* titulum & scientiam infra Regiam dignitatem nunquam crediderunt. Quam nec *Mesues* fastidivit Regis *Damasi* nepos, nec *Abensina* Cordubæ Princeps, summi Rerum Medicarum Conditores. *Marcellus Empiricus* vir inluster ex magno officio Senioris Theodosii audit in veteri codice. Apud Atestenses septem viri erant, alibique veterum inscriptionibus nobilitati. Neque Romana purpura indignum nomen existimârunt *Nicolaus V.* Pontifex, *Eusebius*, qui Medicus fertur & Medicus filius, *Joannes XXII.* Medicorum Canonum non imperitus scriptor. Nolo longiori serie in dictorum fidem peregrina exempla recensere. In Norvvegia nostra *Olaus Rex Sanctus Haraldi* filius, dictus *Digre* seu *Crassus* in Historia Norvvegiae *Suornnis Sturlei* a. c. 1029. fertur curasse filium viduæ periculoſo apostemate colli laborantem, morti vicinum, quia nihil deglutire poterat. Rege enim manibus apostema comprehendente statim sanatus fuit juvenis. Eadem potentia sanandi strumas solo contactu Reges Angliae & Galliae polent. Memoriae nostræ alii Medicos obversantur, qui rerum potiti sunt. Medicos in Hetruria ex medicis magnos Duces suspicit orbis Christianus, qui nec pilulas in Ducalibus insignibus erubescunt. *Raphael Mercelus* senatoria Dignitate non ita pridem in florentissima Genuenium Republica conspicuus octo ante se apud eosdem ligures vestigiis pari successu instituit. Quid memorem amicissimum nobis *Beverovicium* Dordracenæ Reipublicæ Senatorem, & *Nicolaum Tulpium* tam Medicum felicem quam Anatomicum

peritum, quem Amstelis sibi consulem gratulatur? *Thomas Reinesius Altenburgi, Joannes Elementanus* leidæ consularibus fascibus fulgent, quibus fortunam benignam gratulamur, nec invidemus, quia etiam nos domesticis Medicorum exemplis & successibus gloriari possumus.

Circa primos Academiæ Hafniensis natales *Petrus Albertius*, cuius opera & Consilio plurimum in Academia erigenda utebatur Rex Christianus III. bis supremum in Academiâ Magistratum gessit juris Pontificii & Medicinarum Licentiatus. D. *Petrus Capitaneus* & D. *Joannes Franciscus Medicinæ Professores* bis quoque Sceptra Academica obtinuerunt. Semel D. *Jacobus Bordingius* D. *Gellius Sascerides* & Parens noster cœlitibus adscriptus. D. *Andreas Lemvius* præclare de publica Academiæ Bibliotheca meritus ter huic oneri suffecit, & rara temporum sequentium consuetudine ob eximias ejus dotes per biennium purpuram hanc iterato Academiæ prætulit. Huic in prudentia medica pariter & civili suppar D. *Andreas Christierni officio* publici difficultatem ad binos quoque annos produxit. Hisce successit interruptis vicibus par illustre Medicorum D. *Thomas Finckius* senex libris liberisque orbi notus, & D. *Olaus Wormius* vir immensæ famæ. Uterque Medici Chori & eruditæ orbis delicium, summo Academicæ Magistratus munere quinques feliciter defunctus, ita cum civibus suis, quasi cum liberis parentes, vixit. De superstite adhuc Medico collega, viro diffusæ eruditionis D. *Christiano Ostenfeldio* non ita pridem Rectoratus Academicæ onere

onere defuncto parcior ero, ne affectus in affinem veritati videatur officere. Quae negotia publico Academiae nomine difficultissimis temporibus suscepit expediunda, in vita ejus tradit utriusque affinis & collega meritissimus *Erasmus Pauli f. Vindingius*, ad quem curiosum rerum nostrarum lectorum amando.

Neque nos obtusa adeo gestavimus pectora, ut Poeni. Deposuimus enim & nos olim istam purpuram, qua publica authoritate jam humeri resplendent, nec tertium, si majorum indulgentia permiserit, eam ambituri. Bene enim vixit, qui bene latuit. Quippe interrogatus olim *Censorius Cato*, teste *Ammiano Marcellino l. XIV.* quamobrem inter multos nobiles statuam non haberet, malo, inquit, ambigere bonos, quamobrem id non meruerim, quam quod est gravius, cur impetraverim, missitare. Alii praeter Academicum docendi provinciam & auledam spartam, vel canonicatis donati sunt, vel fortunae suae acquieverunt.

Hic *Bartholinus omnium Medicorum nomina ad posteritatis memoriam annexit, quibus recensitis sic pergit, qui hactenus in Dania ducentis pene annis titulo Doctoris, vel licentiati floruerunt.*

Tot illustria nomina vel memoria mihi, vel merita, vel annales & publica monumenta suggesserunt. Ex his *Andreas Christierni discipulus Trincavellii*, cuius scripta publici juris fecit, ad praefecturam Sorensem relicta Academia, promotus fuit. - - -

Ad gloriam tamen Medicinæ spectat, quod *Jonas Charissius* primum Medicinæ Doctor mox Juris, ad aulam Divi Christiani IV. evocatus va
riis

riis legationibus illustribus defunctus olim sit magna cum laude & familiae, jam nobilis, splendore illustri. Pro magno quoque Medicinæ incremento & Medicorum honore interpretor, quod Serenissimi Regis Friderici III. Archiater Petrus Bullichius inter cubiculi Regii Consiliarios collegijque status Assessores non ita pridem magnificè adoptatus sit. Ita Thomas Bartholinus Dissertationē VIII. de Medicorum Danorum Dignitate.

E P I C R I S I S.

Etsi celeberrimus D. Bartholinus, Arctoæ Medicinæ jubar, præcedentiam Medicorum præ Caufidicis sustinere & probare haud intendat, argumenta tamen eam, & Dignitatem Medicorum evincetia adducit,

Et primo quidem, quod Medici æque capaces sint atque apti ac Jurisconsulti, esse in foro rerum judicandarum arbitros, cum illis quotidianum sit libitinæ dicere leges, & vitæ & necis exercere potestatem, neque vilius sit hostiles morborum injurias inhibere, quam onerosa rerum forensium negotia sustinere.

Secundo, quod majori lenitate ac mansuetudine, juristæ autem lege Cornelia ac severitate Manliana, delicta & vitia puniant.

Atque adeo tertio majorem Reip. utilitatem quam ipsi jurisperiiti præstent, cum per correctionem vitiorum Medici quidem aliquando mortificationes, sed sine morte inferant, ut dubium sit, an melior sit Magistratus, an felicior Medicus in suis munis & animi magnitudine & manu cordata.

Quarto, quod à Cura Medicorum Felix Reip. status

status dependeat, quatenus hi incolumitatem ci-
vium, roburque corporum, belli oneribus & ne-
gotiis civilibus sufficiens procurant. Et licet virtæ
humanae & civitatis constituendæ ratio in pluri-
bus consistat, Crantor Xenocratis auditor tamen
virtuti primas, bonæ valetudini secundas, hone-
stæ voluptati tertias, divitiis comparandis ultim-
imas consignavit, cum autem nullus in virtutibus
exercendis, aut admittendis honestis voluptati-
bus, aut divitiis comparandis sit successus, nisi va-
letudo sit constans, & corpus sub ea easdem exer-
ceat, admittat, acquirat, patescit, quod Medicinæ
præ jurisperitia primæ debeantur, non enim ab
hac per leges, juris, sed ab illa per regulas medi-
cas in salubri temperamento conservatur. Et
quantumvis divinitatis ille alumnus animus no-
ster, ad præclara facinora surgens, plurimum
contribuat, eum talem fere esse, constat qualem
esse vult corpus, ejus ergastulum: animi enim
mores sequuntur temperamentum corporis, ut
cum Galeno Physici docent. Hinc autem depen-
det, quod Respublica habeat & cives obedien-
tes, & fortes alumnos.

Quinto in laudes Medicorum excurrit, à qui-
bus res inæstimabilis vita & valerudo bona non
ex rei pretio, sed vix operæ, emitur. Dein eorum
dignitatem ostendit, quod etiam inter Reges Me-
dici extiterint, apud Gentiles, & ab iis inter Deos
relati, apud Christianos autem purpura Romana
ornati effulserint. Imò quod nullum magnum
imperium aut steterit unquam aut feliciter sur-
rexerit, quin vel Medicos, vel Medicinæ fauto-
res ad fasces vel confilia vocaverit, quod pluri-
bus comprobat exemplis. His

His tandem addo textum magni nostri Hippocratis l. de Eleg. t. v. 66. qui sic habet: *Idcirco oportet adjungere sapientiam ad Medicinam & Medicinam ad sapientiam Medicus enim Philosophus per Deo. Haud magna enim differentia inter utrumque. Nam & insunt Medicinæ, omnia, quæ ad sapientiam; Liberalitas, correccio modesta, verecundia, humilitas, Majestas, judicium, quies, obviamitio, puritas, sermo sententiosus, purgatrix animi scientia, nundinationis & superstitionis fuga, sublimitas beroica.*

Adhunc textum elegantissime peroravit *Johannes Antonides van der Linden Professor Medicinae practicæ in Academica lugdonor Batava. Ex cuius selectis Medicis hæc pauca saltem ejus verba adscribere non pigebit:*

Humilibus Deus dat gratiam, quærentibus invenire, sudantibus vesci pane: Resistit superbis, odit ignavos, plenos dimittit inanes. Nolim vero sic se Medicus humiliet coram opis suæ, & consilii egenis, ut interim obliviscatur existimationis & imperii. Qui se vilem facit, despectui habetur, & indignus timore, amore, quibus carere nequit, si nolit inutilis sibi atque aliis fieri. Quem non amant ægri, ei nec facile corpus animumque nudant, & raro, quamvis in propria commoda, admittunt ad intimam morbi secretioris notitiam. Quem non timent, ejus neque præcepta audiunt, neque monitiones curant. Quem non honorant, nec verentur abuti ad sordida quæque & servilia ministeria. Minister es Medice: Sed & Dominus. Ergo servire disce: Disce imperare. Imperium humilitate tempera, servitium Maje-
state

state exorna. Demitte fasces, quoties obsequenter tibi curas: tolle, cum indulgentem sibi.... Intemperanti severus, Refractario durus esto. Mortem minitare, minitare miseriam longam & insuperabilem. Jube pareat, ne pereat, ut parear, cave gratia verbum tuum & fructu careat. Cavebis, si ostendas pro ipso te, non pro fama artis extimescere. Ostende nullum ministerium oneri tibi, nullum fastidio esse, dummodo servare possis periclitantem &c.

Ex quibus Coi dictis colligitur, quam præstans Medicinam comiteatur sapientia, ex qua tot fructus, cum è contrario apud plures juristas sit insipientia, eamque consecaria avaritia exactio immodesta & inverecunda fastus, ficta Majestas, judicii defectus, inquieta vita, indignatio, procacia, sermo reales nudus & promissis dives, corruptrix animi infictio, nundinationis sectatio, imaginaria sublimitas.

PROTESTATIO AUTHORIS.

Videri equidem possent hæc acrius contra Ad- vocatos scripta, sed probe notandum, hæc legitimos Doctos atque probos Causidicos, quos maxime colo atque veneror in patriæ decus natos atque Reip. necessarios haud quaquam concernere, sed eos qui sordida lucri aucupia sectantur, lites ex lite secunt, Clientes longo lirium sulfamine emungunt, ad inopiam redigunt, nefarie produnt & perdunt, quos si Principes aut Respublicæ ex civitatibus ejicerent, aut saltem eorum numerum imminuerent, quod aliquando in Romano Imperio sperandum, augiae stabulum

bulum expurgarent, & cum Hercule appellari possent Monstrorum domitores.

Advocatorum igitur nemo in scientia juris debite versatus, qui

Vindex avaræ fraudis, & abstinenſ

Ducentis ad ſe cuncta pecuniae.

Hoc in libello taxatur. Meretur talis per ſacra Themidis ad ſummas Dignitates ascendere.

In primis verò Doctoreculi iſti, juvenes Advocati instar fungorum nuper in Academiis nati, & nil praeter togam & barbam (& hanc ne quidem ſemper) afferentes, Medicos tamen ſæpe veteranos insolenti fastu despicientes reprehenduntur, qui tamen nec ipſi de illata injuria conqueri poſſunt, cum nemo illorum nominatus ſit, quibus textum Erasmi mores hominum acri stylo pungentis conſiderandum committo: *Qui viṭas hominum ita taxat, ut neminem omnino perſtringat nominatin, quæſo utrum mordere videtur, an docere potius ac monere?* Ergo ſi quis extiterit, qui ſe laſium clamat, is aut conſcientiam prodet ſuam, aut certe metum. Nec iſum hominum genus notatum, ſed qui in genere mali ſunt. Poſſum igitur cum Divo Hieronymo in Epiftola ad Nepotianum dicere: *Nullum laſi: nullius nomen ſcriptura mea deſignatum eſt, neminem ſpecialiter ſermo meus pulsavit: Generalis de vitiis diſputatio eſt: Qui mihi iraſci voluerit, ipſe de ſe, quod talis ſit, conſitebitur.*

F I N I S.

^S
Ka 1722



M



B.I.G.



JUSTA
THEMIDIS
SENTENTIA,
MEDICINÆ DOCTORIBUS
PRAE
CAUSIDICIS SEU ADVOCATIS,
COMPETERE
PRÆROGATIVAM DIGNITATIS, ADEOQUE
JUS PRÆCEDENTIÆ,
RATIONIBUS DECIDENDI,
AD
SUMMAM MEDICÆ FACULTATIS
DIGNITATEM ET GLORIAM
DEMONSTRATA
A
H. J. DE SCHOENAU,
PHILOSOPHÆ ET MEDICINÆ DOCTORE
ET PHYSICO DRINISIO.



FRANCOFURTI AD MOENUM,
APUD JO. BENJAM. ANDREÆ, 1750.